

THESES  
THEOLOGICÆ  
DE ACTIBUS HUMANIS.

18 Q V A S

IN ALMA VNIVERSITATE VILNENSI  
SOCIETATIS JESU

SUB AVSPICIIS

ILLVSTRISSIMI & REVE-  
RENDISSIMI DOMINI

D. CASIMIRI

P A C

D. G. EPISCOPI

SAMOGITIÆ,

VILNENSIS, GERANONENSIS

PRÆPOSITI &c. &c.

Admodum Reverendus Dominus

D. SAMVEL IOANNES

KONARZEWSKI

AA. LL. & Philosophiæ Magister,

Sacræ Theologiæ Auditor;

Pro prima Laurea Theologica,


Publicæ proposuit Disputationi

Anno Salutis Reparatæ MDCLXXIII. Mensē Octobris Die

V I L N Æ

Typis Academicis Societatis IESV.

ILLVSTRISIME  
ET  
REVERENDISIME DOMINE  
MÆCOENAS AMPLISSIME.

 Vando a vita libertatis tutatrix Litvania, sub Ducali Illustrissimi Germani Tui, ideoq; Tuorum enim Liliorum umbra (hoc enim est felicissimū Fratru unitertium) pro finium suorum integritate desudat; non decuit, imò inhumanum fuit pro Humanis Actibus decertaturo Pugili, alterius prater Tuum Patrocinium querere; Illustrissime ac Reverendissime Domine, Præsul Zelozissime, Mæcenas amplissime. Ita enim quæ Vestrâ virtute, quæ benignorum Siderum bene providâ dispositione comparatum video; ut nihil Ecclesiæ proficuum, Patriæ prosperum, Regibus consultum, Artibus liberalibus Liberum ac decorum, nihil deniq; in humanis beatum eadem esse velint; quod non à Sacris sibi PACIORVM Lilijs vel increscat, vel splendorem ac venustatem, vel (ut paucis plurimâ absolvam) fortunam ac beatitatem sortiatur. Et certè quid tam sublime habet Litvania, quò se Regius hic Flos (tali eum elogio dignatur Plinius) sine fastu non exporrigat? quid tam demissum, quò se naturali foliorum repânsione humiliter non demittat? quid tam spatiosum, quod citra omnem ambitum non ambiat? quid tam subiecto famuloq; sibi Germini virulentum aut noxium obrepere potest, cujus malitiam nativâ tum liquoris tum odoris dispensatione non supprimat? Iacent virtute hujus Lilij, in Samogiticis campis prostrati venenosi, pestilentis harescos Scarabæi, & plûsqvam Roseo fulmine icti, ad Præsuleorum Liliorum fragrantiam, vel à sacro Fidelium Viridario exulare, vel rectiùs ibidem turpem animam exhalare coguntur. Plurâ audax prædicator, quia non blandus assentator veraciter eloquar: Regius Vester Flos & Marti & Arti imperat: In MICHAELE Armorum; in Te CASIMIRO facillimus, ideoq; felicissimus Dominator Animorum, quia Liberorum Actuum Humanorum. Ecquis quæso me pro libertate eorundem depraliantem Votis exarmavit? nisi Rex Animorum, Tuum Lilium. Ecquis ut liberam Voluntatem Humanam propugnaturus, meam ipse impugnarem, effecit? nisi Moderator Voluntatum, Tuum Lilium. Ecquis Liberum Polonum Equitem ad aterna Tua obsequia necessitavit? nisi hereditarius magnarum etiam mentium Possessor Tuum Lilium. Sparem meherculè dominandi licentiam, quæ illos nobilitat, quos

*fibi mancipat; illos liberat, quos aureâ beneficiorum compede adstringit; illos invitat, quos nativo odore ad sui amorem necessitat: ut vel ideo, illud quod ante tantopere exhorrebam, nunc ultro exoptem; & quamvis nihil detestabilius servitute esse probè nôrim, tuam tamen ipsâ affectem; quando veracissimam illam Senecæ sententiam (Beneficium accipere est libertatem perdere) adeo alacri animo excipio, ut qui non ita pridem Humanæ Libertatis assertor videbar; mirabili nunc metamorphosi ejusdem in me ipso desertor, propter Te, & esse, & haberi gaudeam. Ita quippe Tuis beneficijs captivatum me sentio, ut alterius, præterquam Tuo post Superos Honori, vitam & studia libentiùs quia liberiùs, impendere, nec velim, nec valeam. Hoc duntaxat in presenti mea, & liberiore quia Tua, servitute, à Te libertatis contendo; ut tantillum temporis benevolè indulgeas, quo non pro mea voluntatis (quæ jam sua non est, quia nutus Tuos observat) libertate; verùm pro liberorum Humanorum Actuum libera assertione, liberè non nihil agere valeam. Quod quia non illibenter præstas, tum plenius nobilissimam, quæ in Homine est, Intellectûs nimirum & Voluntatis, in me portionem Tuo Nomini subjugabis, cum eam in alijs omnis jugi expertem ac impatientem, brevi hæc quia Tripartita de Actibus Humanis Disceptatione, à me persvasum habueris.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Humillimus Cliens

SAMVEL IOANNES KONARZEWSKI.

PARS

## De Voluntario.

## I.



**Q**uamvis grammaticè actus hominis, & actus humanus, idem sonent, non tamen Theologicè: Grammaticus omnes operationes, quæ procedunt ab homine, indiscriminatim actiones hominis, & actus humanos vocat; Theologus operationes, quæ sunt communes homini cum brutis, ut nutrire, comedere, bibere, audire, videre, dormire &c. & aliquas specialiter homini convenientes, ut ridere, admirari, intelligere, actiones hominis vocat, actus verò humanos, solas actiones, quæ non solum secundum suam substantiam propriæ sunt homini, sed etiam secundum modum suum procedendi, in quantum scilicet procedunt ex plena potestate & dominio illius, qui modus operandi proprius est homini, prout contra distinguitur ab alijs animalibus, & tales sunt operationes voluntatis liberæ. In his prima perfectio est ratio Voluntarij: liberum quippe esse non potest, quod non sit Voluntarium, tamen potest esse Voluntarium, quod non sit liberum. Ex hac suppositione admittâ, definiunt aliqui Voluntarium esse id, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis. Fateor esse litrem Philosophicam, an bruta operentur ex fine, dissimulare tamen non possum, quin & definitioni huic & suppositioni illius aliquid opponam. Certum est, bruta non habere cognitiones discursivas: certum, per cognitiones sensuum non percipi explicitè proportionem mediorum cum fine, cum sub sensus immediatè & explicitè non cadant, nisi accidentia secundum se, qui ergo ex cognitione finis, sive conducentiæ mediorum ad finem bruta possunt operari, cum hanc conducentiam non percipiant? Qui species aliquas inditas de his proportionibus mediorum ad finem sensui communi brutorum comminiscuntur, supra æquitate honorificum brutorum patrociniū suscipiunt, cum omnes illæ operationes, quas in hac cognitione proportionum fundari imaginantur, magis accommodatè ad imperfectionem brutorum in qualitates antipatheticas & sympatheticas referantur. Plana & à suppositionibus minùs certis non suspecta definitio est: Voluntarium formale est actus potentiæ appetitivæ, quo fertur ab intrinseco in objectum præviâ cognitione. Verum quidem est Voluntarium sumptum esse à Voluntate, non tamen assumptum ad significandos præcisè actus à voluntate procedentes, sed universaliter ad actus potentiæ appetitivæ: aliud enim est id à quo nomen deducitur, & aliud id, ad quod significandum assumitur. Deducitur Voluntarij nomen à voluntate, eò quòd præcipui actus voluntarij sunt, qui procedunt à voluntate, assumptum verò ad significandos tam illos, quam alios appetitivæ potentiæ sensitivæ actus, quam assumptionem probat communis acceptio vocis, cui insistendo communiter admittunt Theologi appetitivos actus brutorum præviâ cognitione elicitos, esse voluntarios. Ne quis superfluitatis damnet definitionem datam, propter particulas ab intrinseco, præviâ cognitione, cum non possint esse actus potentiæ appetitivæ, nisi procedentes ab intrinseco, ut communior fert opinio, nec possint elici sine præviâ cognitione: addo rationem, non esse superflua membra definitionis, quibus explicitè exhibetur, quod essenziale est definito, præsertim quando non desunt in proposito, qui doceant posse actus formales potentiæ appetitivæ poni à principio extrinseco, consequenter sine præviâ cognitione elicita à subjecto receptivo. Voluntarium objectivum sic definiendum: est objectum potentiæ appetitivæ aliquatenus per modum effectus dependens ab illa, scilicet sive mediatè sive immediatè; immediatè per modum effectus dependent à potentia appetitiva intellectuali actus, quos voluntas imperat sibi, qui respectu actuum imperantium sunt objectum Voluntarium, mediatè dependent à potentia appetitiva actus, quorum illa positionem imperat potentijs executivis à se distinctis.

**L**ibertas & necessitas non sunt differentia Metaphysicae Voluntarij, quæ rationem Voluntarij contrahant ad diversas species Metaphysicas, quemadmodum rationale & irrationale contrahunt animal, sed sunt diversa accidentia voluntarij, quæ diversum in concreto constituunt voluntarium, sicut albedo & nigredo diversum concretum hominis albi & nigri constituunt. Ratio asserti est, quia nec libertas dicit prædicatum adæquatè intrinsecum actui voluntario, nec necessitas, potest quippe idem actus voluntarius de necessario transire in liberum, & de libero in necessarium, & qui est modo liber, potuit esse necessarius, & è contra, qui est necessarius potuit esse liber, cum tamen prædicata intrinseca actuum ab illis abesse non possint, nec essentia rerum vel divinitus mutari. Probatur assumptum. Idem actus voluntarius si antecedat eum concursus DEI determinatus ad unum, aut prædeterminatio physica, erit necessarius, si concursus indifferens ad utrumq; oppositum, erit liber, datis alijs requisitis: item si antecedat tantum cognitio attractiva ad prosecutionem per exhibitionem intentionalem bonitatis, & non adsit retractiva per exhibitionem intentionalem alicujus malitiæ in objecto repertæ, erit necessarius, si verò antecedat tam attractiva quàm retractiva à prosecutione objecti, datis cæteris ad actum liberum requisitis, erit liber. Sicut ergo antecessio illa sive concursus indifferens, sive cognitionis, non est prædicatum adæquatè intrinsecum actui voluntario, ita libertas, & sicut defectus antecedentia talis concursus seu cognitionis indifferens non est prædicatum adæquatè intrinsecum actui libero, ita nec necessitas. Nihil obstat quòd eadem cognitione indivisibili possit objectum representari simul sub ratione aliqua boni, & sub ratione aliqua mali, & quòd actus quæ liber respiciat voluntatem DEI præparantem & offerentem concursum indifferens, necessarius præparantem & offerentem concursum determinatum ad unum. Nihil inquam obstat, nam neq; ad actum liberum, quæ talem, requiritur necessariò, ut eadem indivisibili cognitione representetur objectum sub aliqua ratione boni, ex sub aliqua ratione mali, & respectus essentialis voluntatis ad cognitionem tanquam regulam directivam non est alius, nisi ut priùs proponatur per cognitionem, quod amatur, vel odio habetur per voluntatem: tamen enim libera determinatio voluntatis non stat sine cognitione objecti sub ratione utraque oppositionis propositi, nihilominus nec in prosecutionem objecti influit cognitio ut proponens motivum retractivum, nec in fugam ab objecto, cognitio ut proponens motivum attractivum, atque adeò actus liber ab intrinseco non dicit respectum essentialem ad cognitionem sub utraq; ratione oppositionis objecti propositivam. Idem dicendum de decreto DEI præparativo concursus ad utramq; partem oppositionis, quod nimirum in actum liberum hoc decretum DEI præparativum concursus indifferens præsupponentem, non influit illud decretum ut præparativum utriusq; concursus, sicut nec uterq; concursus præparatus influit in illum, sed ille solum quo utitur voluntas creata ad unam partem oppositionis, & ita hunc solum respicit essentialiter actus concursus ad suam existentiam ordinatum, neq; enim ad positionem amoris DEI, confert concursus præparatus ad odium DEI, aut omissionem amoris, spectatis intrinsecis prædicatis amoris.

## I I I.

**I**N Thesi prima Voluntarium formale expressum est definitum. Interpretativum verò definiendum: est actus vel ex tendentia explicita in aliud objectum connexum, vel ex prudentibus conjecturis præsumptus, præsumitur ex tendentia explicita in Objectum aliud, quando est tendentia in causam ex qua prævidetur aliquis effectus secuturus, quantumvis non intenditur, præsumitur ex prudentibus conjecturis, idq; vel actus, qui esset, vel actus qui est. Voluntarium interpretativum voluntatis quæ esset, tunc est, quando ex prudentibus conjecturis prudenter judicari potest, quod is à cujus consensu pendet mea actio, vel omisso, aut rei usurpatione, consensurus esset in actionem meam, vel omissionem, vel rei usurpationem, cognitis his circumstantijs, in quibus ad agendum, vel omittendum, vel rem usurpandam me resolvo, aut quod meam actionem, omissionem, vel usurpationem rei, postquam in his circumstantijs factam intellexerit,

rit, sit ratam habiturus, ita interpretativè voluntarius est Petro, usus libri illius, quando prudenter judicatur propter amicitiam intercedentem consensurus in hunc usum, si ipse præsens adesset; ita voluntaria est interpretativè Superiori acceptio pecuniæ à subdito Religioso, quæ oblata est illi in itinere ab amicis vel cognatis, pro qua facile licentiam creditur subdito concessurus, & acceptâ notitiâ facti, ratam habiturus. Interpretativum voluntatis quæ est, tunc est, quando ex sufficientibus conjecturis prudenter judicatur, hîc & nunc defacto adesse voluntatem, sive consensum illius, à cujus arbitrio actio, vel ommissio vel usurpatio rei pender: ut si superior videat subditum ad aliquod opus se accingentem, quod honestè vel legitime sine illius consensu ponere non potest subditus, & dum posset commodè positionem operis interdicerè, non interdicit, imò ex circumstantijs satis colligitur, gratam illi fore istius operis positionem à subdito. Magna inter hoc duplex voluntarium est diversitas. Voluntarium enim interpretativum voluntatis quæ est, sive quæ præsumitur esse, sufficit ad actionem ut validam ponendam, ad quam de præsentem requiritur concessio jurisdictionis, quemadmodum requiritur ad absolvendum Sacramentaliter: Voluntarium verò interpretativum voluntatis quæ esset, ad tales actiones ut validas ponendas non sufficit. Præsens enim actualis jurisdictio in eo, qui illam ante non habuit subsistere non potest sine vero præsentem consensu, jurisdictionem concedentis.

IV.

**E**ffectus positivus qui per se sequitur ex causa voluntaria, etiamsi directè non sit intentus modò sit prævisus, voluntarius est, verè enim & propriè sequitur ex determinatione virtuali voluntatis, causam illius voluntariè ponentis, quandoquidem habet connexionem necessariam cum hac sua causa. Neque solum voluntarius est talis effectus, sed etiam imputabilis ad culpam ponenti illius causam, quando in se malus est, malum enim est imputabile voluntari, non solum in se, sed etiam in causa volitum, non solum directè, sed etiam indirectè volitum. Quodsi effectus in se bonus est; qui ex causa positiva sequitur, & non est intentus in se, non imputatur ad meritum, quantumvis sit prævisus, quia actus non participat honestatem ab objecto, nisi illa directè & formaliter intendatur, ut infra declarabitur. Positivus malus effectus, qui ex causa voluntaria per accidens sequitur, si prævideatur secuturus, & intendatur ab ipso ponente causam, voluntarius est ponenti causam & imputabilis ad culpam, quandoquidem talis effectus tametsi non habeat per se connexionem cum causa, ex qua viderur secuturus, conjungitur tamen moraliter ipsi causæ, per talem intentionem, & licèt mediatè directè tamen intenditur cum sua causa. Quodsi non intendatur ab ipso ponente causam, voluntarius quidem erit, non tamen imputabilis moraliter ad culpam. Voluntarius, quia procedet aliquo modo à voluntate directè intendente hanc causam, cum qua is aliquam habet connexionem. Non imputabilis moraliter ad culpam, quia moralis imputabilitas ad culpam, fundatur in debito morali non ponendi vel impediendi aliquem eventum, quod hîc non reperitur debitum, nascitur enim illud ex connexionem necessaria effectus cum causa, eò quòd per talis causæ positionem verè voluntas influit in effectum ipsius causæ, ast ubi effectus per accidens ex aliqua consequitur causa, voluntas intentiva causæ non influit verè ac propriè in effectum. Si quis urgeat: Deus ponit & causat appetitum nostrum sensitivum quo homo inclinatur ad peccandum, ita ut sæpe vix possit moraliter homo tali inclinationi resistere, prævidet deniq; ex tali appetitu secuturum peccatum: nemo tamen Catholicè dicet, peccata nostra, quæ ex talibus appetitibus consequuntur; Deo esse imputanda moraliter ad culpam, tanquam ei qui ponit causam per se connexionem habentem cum consequentibus peccatis, Ergo conclusio posita non subsistit. Responderetur: Peccata quæ appetitus sensitivos consequuntur, non habere connexionem per se necessariam cum ipsis appetitibus sensitivis, vitio enim voluntatis culpabiliter in illis pervincendis languidæ, accidunt. Quod impulsum quendam sæpe vix superabilem moraliter adferant in peccatum, minimè propterea Deo ad culpam imputari debent, cum ab illo ut authore naturæ ad exigentiam naturæ ponantur ex intentione simul nobilissima, ut per illorum victorias homo copiosè mereatur. Hi duo fines præponderant illi periculo, quod homo Divinis adjutus auxilijs gloriosè superare potest.

## V.

**Q**uod fit ex metu gravi, sive levi, sive justè, sive injustè incusso, non est simpliciter involuntarium, sed solum secundum quid. Pro ima parte ratio est, quia & actus internus, ad quem impellit metus, est à principio intrinseco prævia cognitione, & actus externus imperatus ab actu per metum causato, habet se per modum effectûs dependentis à voluntate præviâ cognitione, ut quamvis metus incussus inducat voluntatem, ut eligat id, quod proponitur ut medium ad malum intentatum fugiendum, potuit tamen absolucè loquendo, eligere voluntas, potius malum, quod timetur quàm actum, ad quem vi mali propositi imminentis impellitur. Ratio zdæ partis est: Quod fit ex metu, fit contra inclinationem actualem in oppositum voluntatis ex se in aliquid propendentis. Ergo est involuntarium secundum quid propter impulsum ab extrinseco causatum. Cur verò ratio voluntarij sit principalior in his actibus, quàm ratio involuntarij, causa est, quia ratio voluntarij consistit in actibus efficacibus voluntatis prosecutivis illius objecti, ad quod proseguendum metus movet, aut averfativis ad quod averfandum: ratio autem involuntarij consistit in adjunctione affectûs conditionati volentis prosequi objectum, aut averfari, si malum, quod timeatur, non immineret, sicut ergo prior actus præponderat posteriori, ita voluntarium involuntario. Iam verò in tantum causat metus involuntarium, secundum quid, in quantum causat actum qui vincit affectum præexistentem oppositum, seu in quantum inducit in actum prosecutionis alicujus objecti, vel fugæ, oppositum alteri actui præ-existenti in eadem voluntate, ita enim fit, ut involuntarium secundum quid habeat veram simul rationem voluntarij, & simul aliquam rationem involuntarij, rationem voluntarij, quia ponitur actus voluntatis circa aliquod objectum procedens à principio intrinseco præviâ cognitione, & ponitur ex motivo mali virandi quod timetur, ex altera parte, quia supponitur in voluntate displicentia circa idem objectum, contra quam ex impulsu metûs ponitur efficax actus voluntatis, habetur ratio involuntarij. Non esse hanc doctrinam uniuersalem persuadere volunt aliqui ex eò quòd sæpe homo in implendis Dei præceptis ex metu poenæ æternæ, tristitiam quandam pariat, quæ est indicium involuntarij, & tamen non habet displicentiam oppositam actui quo præceptum impletur, aliàs implendo præceptum taliter peccaret. Sed in hoc quoque casu stat veritas doctrinæ, nam licet non intercedat displicentia circa objectum ut præceptum, intercedit tamen circa idem ut habens aliquam in executione difficultatem aut laborem, de quibus licita potest esse tristitia. quemadmodum in Christo Domino honestissima fuit tristitia de sua passione non ut præcepta à Patre, sed ut tam difficilia, & tolerata acerba.

## VI.

**M**etus reddens actum involuntarium secundum quid ordinariè & per se non excusat à peccato, si id quod fit ex metu sit intrinsecè malum. Fundamentum asserti est, quia metus nec rationem voluntarij simpliciter tollit, nec rationem liberi. Vnde metum patiens liberè eligit malum morale ad vitandum intentatum malum physicum, in qua electione difformiter ad naturam rationalem & dictamen rectæ rationis operatur, quia eligit majus malum ad vitandum minus, cum quodvis malum culpæ moralis sit majus malum omni malo Physico. Dicitur est ordinariè & per se, potest enim metus gravis excusare à peccato, si ita rationem perturbet, ut sufficienti deliberationi & advertentiæ ad malitiam non relinquat locum. Dicitur est, si id quod fit ex metu sit intrinsecè malum, quæ enim mala sunt quia per legem positivam prohibita, sæpe mala non sunt, & omni culpâ morali vacant, quando impellente gravi metu, in virum constantem cadente sunt, ita namq; de benignitate legislatoris prudenter judicatur, quod cum gravi v. g. periculo vitæ, aut fortunarum magni momenti voluerit adstringere ad suæ legis impletionem, adeoq; prohibitio non extendit se ad factum in talibus circumstantijs. Imò accidit ut in his quoque quæ lege naturali prohibita sunt, si metu gravi cogente fiant, nulla sit inhonestas & culpa, non quòd metus faciat licentiam transgrediendi jus naturale, quod nullam admittit dispensationem

rationem, sed quod accedente circumstantiâ metûs, ipsum jus naturale talem non prohibeat actionem. v. g. jure naturali prohibitum est, nè alienum crimen occultum reveletur: si quis tamen ab ipso hujus criminis authore, magnum timeat damnum, vel in corpore, vel in fortunis, quod aliter depellere non potest, nisi occultum illud revelando crimen, potest revelare. Jus naturale obligat ad secretum naturale, si tamen timeatur proditio patriæ, revelari potest, ad occurrendum malo. Tria interim in hac exemptione à lege positiva per metum, sunt observanda. Primum, ne malum quod sequitur ex legis transgressione sit majus ipso malo quod timeatur: hinc si quis in contemptum Religionis Catholicæ ab Hæretico vel Ethnico metu mortis adigatur ad comedendas carnes die prohibito, non potest licitè comedere: contemptus enim iste gravius est malum, quàm mors ipsa corporalis quæ intentatur. Secundum, ut sit metus cadens in virum constantem, qui scilicet concipiatur ex malo notabili imminente, puta, mortis, famæ, Fortunarum, & cum fundamento evidenti aut probabili futuri mali. nam si aut malum leve sit, aut levis suspicio mali, non excusabit metus ab obligatione legis graviter aliquid præcipientis, aut prohibentis. Tertium, in judicio ferendo, an levis vel gravis sit metus, respiciendum est quoq; ad personam cui incutitur metus: nam metus qui respectu viri fortis & constantis est levis, respectu pueri vel faminiæ censetur gravis.

## VII.

**M**eritus reddens actum secundum quid involuntarium, non invalidat per se loquendo, contractus humanos ratione consensûs ad eisdem requisiti. Patet ex antecedentibus, quia nimirum metus nec involuntarium simpliciter, nec liberum simpliciter tollit, & qui ex metu operatur, potuit simpliciter non operari, factâ resolutione mali quod timeatur sustinendi. Nihilominus ex juris dispositione in multis contractibus invalidantur consensus per metum gravem injustè incussum, uti in Matrimonio. Quamquam nonnulli non tam consensus secundum se immediatè invalidari existiment ratione metûs intervenientis, quàm invalidari mediatè propter defectum alicujus conditionis à lege requisitæ, qualis est immunitas à metu, ut perfecta libertas contrahentium servetur: Qui priorem modum loquendi retinent, censent ita voluntates subditorum esse subjectas suis superioribus & legislatoribus quoad certos actus, ut absq; eorum consensu, nullam vim habeant volitiones eorum quoad effectus certos morales: Qui posteriorem, ajunt tantum conditionem aliquam à Jure vel Superiore apponi, cujus defectu, deficit contractus quoad effectus morales. Ex juris quoq; dispositione votum Solenne Religionis, sive Professio Religiosa metu gravi per injuriam extorta, est invalida.

## VIII.

**C**oncupiscentia propriè est motus appetitûs sensitivi, quo fertur in aliquod objectum sensibile delectabile, trahens voluntatem, atq; alliciens ad illud prosequendum. Differentia inter motum concupiscentiæ & motum metûs, est, una, quod metus moveat ad actum prosequendum circa objectum voluntati actu displicens. actus enim procedens ex metu fertur in objectum, quod hîc & nunc secundum se non agnoscitur bonum appetibile, sed potius malum, habens hanc nihilominus speciem boni, quod ad majus malum vitandum conducatur. Concupiscentia trahit ad actum circa objectum gratum & placitum, ut secundum se hîc & nunc consideratum. Et quamvis idem objectum ad quod allicit concupiscentia sæpe habeat rationem mali summâ displicentiâ digni, v. g. offensæ Divinæ, dum tamen intelligitur adesse actus concupiscentiæ, aut non proponitur objectum ut vestitum tali malitiâ, aut delectabilis sensualis avertit intellectum à perfecta consideratione mali in hoc delectabili latentis, ut ita illa ratio mali quasi tenuiter, licet sufficienter proposita, non permoveat voluntatè ad displicentiâ objecti. Altera differentia est, quod metus non habeat vim ad removendum actum displicentiæ contrarium actui ad quem ipse impellit. Concupiscentia autem vim magnam habet ad removendam displicentiam circa idem objectum, ad quod ipsa prosequendum pertrahit, adeoq; cum actu causato per metum stat displicentia saltem conditionatè efficax circa objectum, quod ille actus prosequitur, cum actu



per concupiscentiam causato, aut absolutè nulla stat displicentia, aut exigua, idq; vel maximè circa medium objecti concupiti vel effectum. Ratio hujus diversitatis in metu & concupiscentia est, quia dum voluntas metu impellitur ad actum, impellitur ad malum secundum se prosequendum, & tantum, ut dixi, sub ea ratione bonum, quia conducens ad evitandum majus malum: necesse ergo est, ut intellectus priùs comparationem instituat mali, quod timetur, & mali ad quod prosequendum timore impellitur, ut sic periculo majoris mali cogniti imminenti, inducatur ad minus eligendum: in quo negotio nec cognitio vigens cessat minoris mali, quod eligitur ad evitandum majus, nec displicentia ejusdem fugaq; saltem conditionata; cum concurrentia majoris mali cum minori malo, suam non adimat illi malitiam, propter quam displicet. Intercedente verò concupiscentiâ, quia rationem boni delectabilis vivaciter concipit, intellectus determinatus à concupiscentia vivaci, multum impeditur ab exacta & fructuosa consideratione malitiæ latentis in objecto. Ex his tria consequuntur. Primò quod concupiscentia antecedens præveniens scilicet liberum voluntatis actum ordinariè non causet involuntarium secundum quid; siquidem ita trahit voluntatem ad prosequendum objectum delectabile, ut removeat displicentiam circa illud: cujus argumentum est, quòd ea quæ ex concupiscentia fiunt, regulariter cum læritia & jucunditate fiunt, involuntarium autem secundum quid necesse est esse contra actualem voluntatis inclinationem in oppositum. Secundò quòd concupiscentia augeat voluntarium; excludit quippe renitentiam, quæ imminueret voluntarium, facit voluntatem magis adhærere objecto, ut experientia docet, cum voluntas agrè dimoveri possit ex prosecutione objecti, ad quod prosequendum impellitur per concupiscentiam. Tertio minuit sæpè numero libertatem actus, quamvis illam ordinariè relinquat sufficientem ad peccatum mortale contrahendum. Ratio est, concupiscentia minuit indifferentiam voluntatis, alliciens & trahens illam ad unam partem, sæpe quòq; imminuit sincerum de rebus judicium & cognitionem, impellendo intellectum in ejusdem objecti delectabilis, in quod ipsa fertur, valde vivacem apprehensionem, quæ non sinit ad alias rationes objecti attendere, quibus in contrarium voluntas trahi possit. Per hanc duplicem imminutionem indifferentiæ & advertentiæ debitæ ad rationes in oppositum tractivas, liberas voluntatis imminuitur. Existimare quispiam posset, quòd & ratio voluntarij ex concupiscentia imminuatur propterea, quia concupiscentia est extrinseca voluntati, consensus verò voluntatis quòd magis est ab extrinseco, eò minus est voluntarius. Sed hæc existimatio fallit: determinatio enim voluntatis ad consensum per concupiscentiam licet sit ab extrinseco, ipsum tamen principium intrinsecum, scilicet voluntatem ita suo modo afficit, ut voluntas cum majori adhæsiōe complacentiâq; feratur in objectum concupitum. Præstat porro hoc vivaciorem objecti concupiti repræsentationem, per intellectum occasionando, quàm facilè major adhæsiō & complacentia consequitur.

## IX.

**I**gnorantia antecedens sive juris sive facti tollit simpliciter Voluntarium, secundum eam rationem sive circumstantiam objecti, quæ ignoratur. Per antecedentem ignorantiam intelligitur illa quæ ita nostram antecedit voluntatem, ut omnino nobis voluntaria non sit, nec ullatenus fuerit in nostra potestate eam tollere, & est insuper causa operis, non quòd illa positivè ponat opus, sed quòd removeat prohibens, scilicet removet scientiam, quæ si adfuisset, opus positum non fuisset, quod hic & nunc fit ex ignorantia: vocatur eadem invincibilis ex ea ratione, quia ab ipso ignorante hîc & nunc tolli non potuit, vel quia nulla cogitatio occurrit de hac circumstantia, perfectione vel imperfectione objecti, vel quia tamen occurrit aliquod dubium vel scrupulus, factâ diligentiam debitam in acquirenda notitia, nequaquam illa obtineri potuit. Vocatur inculpabilis: defectus enim quivis, qui ex voluntate nostra non est, culpabilis nobis in genere moris non est. Assertum hoc evincit ipsa definitio voluntarij, cum enim Voluntarium debeat esse actus potentiæ appetitivæ præviâ cognitione, sicut simpliciter non est voluntarium, ubi nulla cognitio, ita respectivè ad certam circumstantiam, perfectionem, vel imperfectionem objecti non est voluntarium, ubi illius circumstantiæ, perfectionis vel imperfectionis prævia non habetur cognitio. Confirmatur. Quod ignoratur, illud voluntas formaliter non prosequitur, quia nihil volitum,

nisi

nisi prius cognitum, Ergo quod ignoratur ignorantia antecedenti, circa illud non datur voluntarium formale. Ex hoc assero consequitur, id quod fit ex ignorantia antecedente (idem iudicandum est de inadvertentia consequente) non esse culpabile formaliter in genere moris, etiamsi sit ex parte objecti, intrinsece malum. Quod enim voluntarium non est, liberum esse non potest: quod non est liberum, non est culpabile formaliter, in genere moris.

## X.

**I**gnorantia consequens est, quæ nostram aliquatenus liberam consequitur voluntatem, in quantum liberè non adhibetur diligentia ad eam tollendam, acquirendamque notitiam, quando & acquiri potest, & est obligatio acquirendi, & advertentia ad hanc obligationem de acquirenda notitia: hæc ita est consequens respectu voluntatis, ut simul sit antecedens respectu operis, in quantum est causa operis removendo prohibens, scilicet notitiam, quæ si adfuisset, opus hoc positum non fuisset. Propterea merito dicitur causare voluntarium, & id quod ex tali ignorantia fit, verè est voluntarium, quamvis indirectum, etsi objectivam malitiam habet moralem, imputabile est quoque ad culpam moralem, utpotè in ipsa ignorantia consequente directè vel indirectè volita, tanquam in causa sua volitum. Hic cerni potest diversitas inter antecedentem ignorantiam, & consequentem. Illa est causa Voluntarij respectu operis vel circumstantiarum, quas voluntas ex præviâ cognitione prosequitur, hæc est causa Voluntarij respectu operis sive circumstantiarum quæ ignorantur, dum enim opus ex ignorantia antecedente fit, illud solum Voluntarium est & dicitur, quod ex præviâ cognitione voluntas prosequitur; dum opus fit ex ignorantia consequente, etiam illud est & dicitur voluntarium, quod ignoratur, quia in ignorantia cognita & volita tanquam causa, est volitum: Antecedens ignorantia est causa operis removendo prohibens non voluntariè, consequens est causa operis, removendo prohibens voluntariè, cum ipsa voluntariè sit: Antecedens est aliquomodo causa voluntarij in genere causæ efficientis non positivè influendo, sed negativè causam efficientem expeditam reddendo, per remotionem prohibentis: Consequens est causa Voluntarij in genere causæ efficientis & in genere causæ formalis, quod enim ex ignorantia consequente fit, ab ipsa ratione voluntarij, qua ignorantia voluntaria est, Voluntarium formaliter dicitur, cum non sit Voluntarium formaliter, & directè, sed tantum in causa.

## XI.

**I**gnorantia concomitans est, quæ concomitatur opus, ita ut nec ipsa sit Voluntaria, nec causa operis. Non est voluntaria; quia supponitur nullum dubium de malitia operis occurrere, nulla advertentia ad obligationem de indaganda malitia latente: Non est causa operis, quia operans ita est dispositus in animo, ut quamvis malitiam latentem in opere cognitam habuisset, ab opere non destitisset, adeoque quod opus ponat, hic & nunc, non tam procedit ex ignorantia, quam ex illius tali animi dispositione, quod intelligendum de dispositione animi affectiva habituali, non verò actuali affectu. unde sicut habitudo animi perversa, quando non prorumpit in actum, peccatum actuale non est, ita condicionalis affectus habitualis, quem ignorantia concomitans involuit, etiamsi scirem hoc malum esse, facerem, non facit peccatum. Ignorantia concomitans descripta, neque Voluntarium neque involuntarium propriè causat ratione objecti quod ignoratur, sed causat non voluntarium, quæ singula colliguntur ex descriptione data. Non causat voluntarium positivè, quia hæc causalitas supponit præviâ cognitionem, quam ignorantia concomitans excludit: non causat removendo prohibens, nam quando fit aliquid ex ignorantia concomitante, ita fit, ut etiamsi sciretur esse tale, adhuc poneretur; unde vi ignorantia non censetur poni actus: non causat involuntarium, quia ignorantia concomitans non solum actualem displicentiam circa objectum quod ponitur ex ignorantia excludit, sed etiam habitualement includit inclinationem in objectum illud ponendum sive prosequendum. Causat tamen non voluntarium, quia est causa quod ignoretur hæc vel illa circumstantia objecti removendo illius notitiam, propter cuius defectum circumstantia illa operanti est & dicitur non voluntaria. Adde, nec imputabilis ad culpam, propter defectum & voluntarij & libertatis.

**A**D hoc ut ignorantia censeatur vincibilis & culpabilis, non sufficit re ipsâ adesse obligationem ad deponendam ignorantiam sive ad habendam advertentiam circa malitiam objecti, sed requiritur ut aliqua intercedat cognitio hujus obligationis de ignorantia tollenda, vel advertentia adhibenda, sive specialis sive universalis, sive clara sive confusa, sive certa sive dubia, nam & ignorantia & omisso debita advertentia ut sit culpabilis in genere moris, debet esse libera, sine præviâ cognitione, de obligatione tollendâ ignorantia; ignorantia non potest esse libera, & sine præviâ cognitione de habenda advertentia; omisso debita advertentia non potest esse libera. Durum itaq; omnino illud esset, & laqueos inextricabiles conscientijs iniiciens; potuit & debuit advertere. Ergo peccavit; quamvis actu non advertit ad malitiam. Fateor quod scire, & debere scire, æquiparentur in jure, sed hæc æquiparatio procedit secundum præsumptionem fori externi, quæ non est sufficiens ad inducendam culpam in foro interno: Fateor quod præceptum obligans ad recitandum horas Canonicas obliget ad advertentiam, nè illius fiat transgressio, sed quamdiu ad hanc obligationem de habenda advertentia, advertentia absolute nulla est, non fit culpabiliter humano modo alius transgressio.

## P A R S I I.

## De bonitate &amp; malitia morali actuum humanorum.

## I.

**M**oralitas Actus humani est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca: Intrinsecè dicit ipsam entitatem actus à voluntate ut principio intrinseco procedentis, extrinsecè ea omnia quæ ad libertatem actus tanquam quid extrinsecum entitati actus, intrinsecum libertati requiruntur, inter ea verò cognitionem de honestate, vel inhonestate objecti practicè hujus actus regulativam. Hæc omnia simul sumpta prout afficiunt actum, sunt fundamentum vituperabilitatis & laudabilitatis in genere moris, imputabilitatis ad meritum vel pœnam, & sine horum aliquo non habetur sufficiens fundamentum: neq; enim si aliquid eorum desit quæ ad libertatem requisita sunt, actus laudabilis vel vituperabilis in genere moris, prudenti hominum æstimatione censeatur, aut imputabilis ad meritum vel pœnam, neq; si desit cognitio honestatis vel inhonestatis, regulativa actus, laudabilis, vel vituperabilis, in genere moris, dici potest.

## I I.

**N**ON solis actibus humanis bonitas vel malitia moralis convenit, sed & in ipsis objectis reperitur objectiva bonitas vel malitia moralis. Probat. Dantur objecta, à quibus prosecutio voluntatis sumit bonitatem, & dantur objecta à quibus actualis eorum prosecutio sumit suam moralem malitiam; ut si quis amet Deum, actus amoris ab objecto sumit moralem bonitatem; si quis eligat mendacium, electio ista à suo objecto sumit moralem malitiam. Quod ab omnibus necessariò admittendum est: nam si in ipsis objectis non inveniretur bonitas, & malitia moralis objectiva, non esset assignabilis in multis ratio, cur hujus objecti amor bonus est, alterius malus est? siquidem nec ex dictamine prævio præcisè id provenire potest, cum ipsum dictamen ut sit rectum, debet conformiter ad naturas rerum, hujus objecti amorem dictare esse honestum, alterius non esse honestum, aliàs rectitudinis suæ nullam habebit regulam; nec ex Divina Lege indicante hoc esse honestum, illud non: hæc enim lex non liberè judicat mendacium non esse honestum, cultum Dei esse honestum, sed necessariò: alioqui posset judicare mendacium esse honestum. Necessitatis aliud fundamentum

24

damentum assignari non potest, præterquam ipsorum objectorum tale meritum, sive talis conditio, ut naturâ suâ bonitatem objectivam habeant aliqua, aliqua malitiam, Nec ex Divina voluntate alia præcipiente, alia prohibente: secundum communem enim sensum Theologorum quædam mala sunt, quia prohibita, & alia prohibita, quia mala, & hæc ante prohibitionem supponunt malitiam. Similiter quæ præcipiuntur, aut indifferentiam, aut bonitatem necesse est præhabeant, præceptum enim honestum esse non potest, nisi tale inveniat objectum, cum non possit esse vinculum iniquitatis, nec quod in se malum est per legem præcipientem bonum reddi potest. Deniq; respectu ipsius voluntatis Divinæ aliqua objecta bonitatem habent, aliqua malitiam, aliqua honestè amabilia sunt, aliqua honestè amabilia non sunt, cum tamen Divina voluntas nullis legibus positivis sit constricta. Nec ex ullo alio capite actuum memoratorum diversitas desumi potest, quod evidentè convincit reducendum esse in ipsorum objectorum bonitatem, & malitiam objectivam moralem. Nec obstat, quod idem objectum V. G. DEVS possit terminare vel amorem sui, qui utiq; est bonus, vel odium sui, quod utiq; est malum: res aliena terminare vel actum restitutionis qui est bonus, vel furti qui est malus, hæc enim apertè terminandi diversos & oppositos actus minimè dicit indifferentiam objectorum ad bonitatem & malitiam moralem objectivam, sed indifferentiam ad terminandos actus cõformes ad suū intrinsecū meritū, vel difforme: amor DEI est conformis merito illius, quia est debitus bonitati illius, odium est difforme merito quia oppositū bonitati illius unde vel ex hoc ipso exemplo patet dari bonitatem objectivam moralem, V. G. in DEO, quia non est alia ratio cur amor illius est bonus, nisi quod sit secundum meritum objecti, solum enim objectum bonum, meretur amari, odium est malum, quia est contra meritum objecti, solum enim malum meretur odio haberi, DEVS autem non est tale objectum.

### III. 24

**B**onitas objectiva moralis in objectis ex natura suâ bonis consistit formaliter in ipsa convenientia, decencia, & consentaneitate objecti ad naturam rationalem quâ talem, ejusq; inclinationem. Malitia moralis objectiva in objectis naturâ suâ malis consistit formaliter in disconvenientia, dedecencia, & non consentaneitate ad naturam rationalem, quâ talem, ejusq; inclinationem. Fundamentum est: Bonum morale uti & malum non est nisi respectu naturæ rationalis, quâ talis, & omne bonum quod respectu alicujus est bonum, dicit convenientiam, conformitatem, decenciam in ordine ad illud cui est bonum, ut patet procedendo per omnes instantias physicas. Idem suâ proportionem dicendum de malitia morali, quæ similiter non est, nisi respectu naturæ rationalis quâ talis adeoq; nõ aliud dicit, nisi disconvenientiam, difformitatem, dissentaneitatem ad naturam rationalem. Convenientia objecti cum natura rationali quâ tali, est dignitas seu meritum objecti respondens inclinationi innatæ naturæ rationalis quâ talis, impellentis in amorem, seu prosecutionem hujus objecti, & conjunctionem cum eodem. Disconvenientia objecti ad naturam rationalem, est improporçio objecti ad terminandum amorem ex inclinatione innata naturæ rationalis ut talis determinatum. Sicut enim convenientia, quam res habent ad alias naturas naturaliter tantum & non moraliter operantes, est proporçio ipsarum rerum cõrespondens naturali inclinationi illarum, quæ semper est ad aliquid sui perfectivum, ita convenientia hæc objectorum ad naturam rationalem, proporçionem dicere debet eorundem cum natura rationali, & sicut in alijs naturis naturaliter operantibus est inclinatio ad proprium bonum physicè possidendum, ita in natura rationali ad possidendum intentionaliter, quæ possessio principaliter consistit in cognitione, secundariò & completivè in amore. Ad hæc ergo conjunctionem cum suo bono natura rationalis ut talis habet inclinationem. Hinc communiter doceretur omne peccatum esse contra naturæ rationalis inclinationem, & è contra omne opus virtuosum, secundum naturæ rationalis inclinationem. Eandem inclinationem naturæ rationalis in objecta certa, scimus & per experientiam, cum enim operamur aliquid evidentè lumini rationis repugnans, remorsum conscientiæ, accusationem, inquietudinem internam ordinariè patimur: cum operamur ea, quæ in se honesta sunt, securitatem, & gaudium experimur interiùs, non erubescimus, non quærimus latere. Præterea illud pro hac inclinatione argumen-

D tum

tum est, quòd sine ulla alia prævia instructione de honestate, vel inhonestate hujus vel illius objecti, naturale lumen rationis circa multa dicitur etiam rudissimo, hoc decere hominem ut operetur, illud non decere ut operetur. Sicut ergo in intellectu est quædam innata inclinatio seu determinatio ad talia dictamina, ita in voluntate quæ secundum se recta à DEO creata est, invenitur correspondens aliqua inclinatio ad quædam objecta, tanquam illam decencia prosequenda, & ad alia tanquam dedecentia averfanda. Hinc verò minimè sequitur quòd & in operando honestè circa objecta ex natura sua honesta, nunquam homo difficultatem & tristitiam sentire deberet, eò quòd inclinatio in natura rationali ad talia admittatur, aut quòd natura rationalis sola tantum prosequeretur objecta honesta, quod manifestè veritati repugnat, Minimè inquam sequitur imum, si quidem inclinatio naturæ rationalis ad certa objecta prosequenda innata est, non actualis: ideo actualement tristitiam & difficultatem homo operans honestè, sustinere solet, occurrentibus præsertim potentia sensitivæ operationibus, quæ in hanc anxietatem & difficultatem circa objecta honesta prosequenda impellunt. Minimè idem, nam in voluntate nostra inclinatio innata est ad honestum, simul cum dominio in suos actus, ut possit natura rationalis non solum secundum innatam inclinationem operari, sed etiam tendere in oppositum. Per naturam rationalem, ut talem, intellige hinc naturam rationalem, ut operativam secundum dictamina rectæ rationis, quæ aut sunt lumine naturæ nota, aut ex illis deducuntur; sicut enim sola dictamina rationis sunt vera ratio seu ratiocinatio, ita solum natura rationalis, est verè rationalis, in quantum operativa secundum dictamina rectæ rationis, & sicut operari contra dictamina rectæ rationis, defectus est naturæ rationalis, non perfectio, ita posse operari contra dictamina rectæ rationis, est posse ad defectuosè non autem ad perfectè operandum: libertas quippe creata quæ est ad honestè & inhonestè operandum est perfectio admixtam habitualement imperfectioem habens, & ideo talis libertas non est in DEO, habitualement inquam, quia posse operari malè non facit hominem actu moraliter malum. In hac naturæ rationalis quæ talis explicatione, importantur in obliquo dictamina rectæ rationis, non in recto, quia bonitas seu honestas moralis objectorum non sumitur ultimo ex convenientia & proportionem ad dictamina rationis, sed ad naturam rationalem quæ talem. Si quæras unde rectitudo dictaminum ipsorum est dignoscenda? Respondeo dignosci illam vel per se, quia in se est nota, solent enim aliqua dictamina esse principia lumine naturæ nota, v. g. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Benefactoribus gratitudo exhibenda &c. vel per deductionem ex alijs dictaminibus lumine naturæ notis. Et quia in his deductionibus non levis solet occurrere difficultas, ideo in multis materijs in particulari, difficulter est dignoscibilis honestas ab inhonestate, sed talis difficultas quacumq; posita opinione de constitutivo bonitatis moralis objectivæ, recurrit.

#### IV.

**O**bjecta quæ ex natura sua, mala non sunt, possunt malitiam objectivam habere à voluntate Divina prohibente. Malicia hæc erit extrinseca objecto, quæ sublatâ prohibitionem tolli poterit ab objecto. Forma constitutiva hujus malitiæ est ipsa voluntas Divina prohibens, Verum enim est hoc objectum esse malum quia prohibitum est. Sed quomodo inquis voluntas Divina prohibens potest esse forma constitutiva moralis malitiæ objectivæ, cum ipsa nullam in se prorsus malam malitiam habeat sed omnimodam honestatem? Respondeo, Lex Divina prohibens nullam quidem habet in se malitiam moralem, per suam tamen formalem oppositionem cum hoc objecto, cujus est prohibitio, facit illud in genere moris objectivè malum, ac proinde sufficit ut objectum constituatur extrinsecè malum, reddi illud formaliter oppositum prohibitioni Divinæ: redditur verò tale per ipsam positionem legis prohibentis. Nec illud inconveniens ulli videri debet, per aliquid sibi oppositum tanquam per formam objectum constitui in ratione mali moralis; hoc enim multis denominationibus sive purè extrinsecis, sive partim extrinsecis partim intrinsecis convenit. Album in ratione dissimile à nigro, constituitur formaliter per ipsum nigrum. Quod & ad caput facilius, & ex solidioribus rationibus firmius asseritur, quàm si formæ adæquatè intrinsecæ entitatibus, in similibus denominationibus admittantur, ut connotantes aliquid

aliquid extrinsecum: quomodo enim adæquatè intrinsecæ sunt ut connotantes, ita eadem connotatio sive connotare, non est adæquatè intrinsecum ipsis entitatibus, sed eadem jam sunt connotantes jam non sunt: aut si connotare, adæquatè est intrinsecum ipsis entitatibus, non poterit poni album, quin connotet actu nigrum, & denotet illud dissimile, quantumvis nullum à parte rei nigrum detur. Non poterit dare pater, qui potens generare filium, quin connotet filium actu, & denominetur Pater actu. Quare claros Patres tot filiorum, quos non genuerunt, quia habent formam paternitatis adæquatè intrinsecam: Vel denique; si formæ quidem adæquatè intrinsecæ sunt, ipsum tamen connotare dicit aliquid extrinsecum; ergo istæ formæ sumptæ reduplicativè ut connotantes, non dicunt aliquid adæquatè intrinsecum, ergo ut aptæ præstare effectum formalem non dicunt aliquid intrinsecum adæquatè, ergo in ratione formæ non sunt aliquid adæquatè intrinsecum: in tantum enim habent rationem formæ, in quantum aptæ sunt præstare effectum formalem subjecto capaci. Sed hæc satis est attritus Theologicam huic loco convenientem subijcio ex materia de legibus resolutionem, circa legem præceptivam, & prohibivam, objectum scilicet voluntatis, quæ legislator præcipit aliquid esse ipsam actionem, quam vult à subditis poni: debet autem hæc volitio talis esse ut respiciat ipsam potestatem legislativam in legislatore residentem, nempe ut velit tanquam persona habens potestatem legislativam, sive ut velit, interponendo auctoritatem suam legislativam: Talis volitio exprimitur illis vocibus: Mando, præcipio, hoc volo, de plenitudine meæ potestatis. Unde nisi in signis externis exprimitur, vel ex conjecturis prudentibus constet, volitionem taliter procedere à legislatore subditi obligari non possunt. Similiter legislator prohibens aliquid, vult negationem, sive non positionem actionis, tanquam persona habens potestatem legislativam, vel interpositâ auctoritate potestatis legislativæ. Hinc patet voluntatem obligativam non habere pro objecto obligationem formalem, sed ipsam voluntatem modo explicato positam, habere rationem formalis obligationis: positâ enim illâ, verum est dicere, subditum teneri id facere, quod lex præcipit, vel non facere, quod lex prohibet. Secundò patet discrimen inter voluntatem præcipientem & consulentem, ac permittentem. Voluntas consulens nec fundatur in illa potestate legislativa, nec actu respicit illam: voluntas permittens non vult determinatè hoc. Tertiò patet, quomodo possit stare in legislatore voluntas præceptivâ alicujus actionis, & nolitio ejusdem ponendæ, ut pro transgressione legis multas exigere possit à subditis, nam cum voluntate subnixâ auctoritate potestatis legislativæ, potest esse nolitio ejusdem actionis non subnixâ hac auctoritate, adeoque procedens ut ad homine privato.

## V.

**B**onitas formalis actuum humanorum, qui naturâ suâ boni sunt, est ipsa consonantia sive conformitas actuum cum naturâ rationali, ut tali, sive ut est operativa secundum dictamina rectæ rationis. Malitia formalis actuum humanorum est dissonantia, difformitas actuum cum naturâ rationali ut tali. Triplex considerari potest in actibus humanis conformitas, vel difformitas. Prima per ordinem ad naturam rationalem, quæ talem. Secunda, ad dictamina actualia rationis. Tertia, ad leges præceptivas vel prohibivâs. Prima conformitas dicit quandam decentiam & convenientiam actûs hujus respectivè ad naturam rationalem, quæ talem, dicit tendentiam in objectum proportionatum inclinationi innatæ naturæ rationalis, quæ talis: Difformitas dicit dedecentiam, disconvenientiam actûs, respectivè ad naturam rationalem quæ talem, dicit tendentiam in objectum improporionatum inclinationi innatæ naturæ rationalis, quæ talis. Secunda conformitas dicit tendentiam actûs in objectum correspondentem præscripto dictaminum actualium rationis: Difformitas dicit tendentiam actûs in objectum, non correspondentem præscripto dictaminum actualium rationis. Tertia conformitas dicit tendentiam actûs in objectum correspondentem præscripto legis præceptivæ, aut omissionem correspondentem præscripto legis prohibivæ. Asserti non potest, quod bonitas formalis actuum, qui naturâ suâ boni sunt, sita sit formaliter in conformitate tertiâ, quæ est ad leges præceptivas; & malitia in difformitate tertiâ ad easdem leges positivâs: Quia secluso omni præcepto tales actus suam bonitatem habent, & ante omne præceptum præsupponuntur habere, adeoq;

adeoq; tamen nec DEVS, nec ullus Legislator præcepisset Parentes colere, cultus Parentum, siue actus, quo cultus iste intenderetur, esset moraliter bonus. Idem dicendum de malitia. Afferri non potest, quòd bonitas formalis actuum humanorum formaliter sita sit in secunda conformitate, quæ est respectivè ad dictamina rationis: Quia ipsa dictamina rationis debent invenire in actibus bonitatem, propter quam positionem actuum, vel malitiam, propter quam omissionem actuum præscribunt. Dictamina, notam faciunt Voluntati bonitatem, vel malitiam actuum, non verò illam faciunt, vel constituunt; dictamina ipsa recta sunt, si secundum meritum actuum sunt; non sunt recta, si non sunt secundum meritum actuum. Rectum est dictamen, quod practicè honestum esse iudicat actum, qui honestus est; non est rectum, quod practicè honestum esse iudicat actum, qui honestus non est. Ergo ante dictamina rationis supponitur in actibus bonitas, vel malitia moralis, quam ut dixi dictamina debent proponere voluntati. Restat ergo ut asseramus bonitatem actuum formalem consistere formaliter in conformitate ad naturam rationalem ut talem: Malitiam, in difformitate ad eandem: Per hoc actus formaliter bonus est; quia decet naturam rationalem: per hoc formaliter malus est, quia dedecet illam. Porro conformitatem hanc actuum ad naturam rationalem, & decentiam, vel difformitatem & dedecentiam indignant nobis dictamina rationis, quæ impetu quodam naturæ rationalis tanquam certissima exoriuntur in intellectu, & alia per discursum, vel ex ipsidem deducta, vel longa consideratione formata, deniq; ex iudicio & decisionibus prudentium sumpta: Ordinaria interim via & facilis indagandæ bonitatis, vel malitiæ actuum, est Lex humana vel divina: Nam quæcunq; iure naturæ mala sunt, à Deo prohibita sunt, & ut talia proponi solent. Prohibitum autem esse hoc vel illud iure naturæ, præferim in difficilioribus casibus, & per consequens, lege Divinâ, prudentes decidunt, in qua decisione, ad ultimam devenire debent regulam oppositionis cum natura rationali, siue dedecentiæ respectivè ad illam. Sermo fuit in hoc asserto de malitia Philosophica: Nam malitiam Theologicam actuum sumi ex difformitate, dissonantia, seu oppositione ad legem DEI omnino admitto, cum actus mali rationem offensæ formalis habere non possint, nisi lege Divinâ prohibiti sint, & suppositâ cognitione huius legis procedant ab operante, ut copiosius in materia de peccatis pertractatur.

## VI.

**C**ertum est primò, quòd actus humani non accipiant bonitatem & malitiam suam intrinsecam efficienter propriè aliunde, quam à voluntate, à qua eliciuntur, & comprincipijs influentibus; ita tamen ut à DEO in entitatem physicam actus mali physicè influente, talem malitiam non accipiant; Quia non ex illius inclinatione, aut determinatione quoad speciem ponuntur. Certum est secundò, actus humanos non accipere bonitatem & malitiam moralem formaliter, siue tanquam à causa formali ab ipsis objectis secundum esse suum physicum consideratis: Nam accipere formaliter aliquam perfectionem ab aliquo, est accipere per communicationem ejusdem entitatis per modum formæ: Sic homo formaliter accipit esse sancti à gratia sanctificante, in quantum illa communicatur per modum formæ. Parius accipit formaliter esse albi ab albedine, in quantum se ipsam illi albedo communicat per unionem. Objecta vero (loquendo universaliter) non possunt dare malitiam vel bonitatem actibus per communicationem sui; sæpè enim terminant actus bonos & malos à quibus multum distant: Imò nec per modum formæ extrinsecæ, quam non est necesse physicè conjungi subjecto, quod denominat, possunt dare bonitatem, vel malitiam formaliter actibus. Tum quia sæpè licet objectum secundum suum esse physicum aliter se habeat, si tamen per apprehensionem proponitur ut bonum, actus, in illud tendens, bonus est: Tum quia, non existente objecto, actus potest esse malus vel bonus de præsentì; non existente autem formâ extrinsecâ (excipe denominationes à tempore præterito, vel futuro sumptas) à qua sumere debet effectum formalem; non potest hunc effectum formalem; habere de præsentì. Insuper certum est mihi tercio, quòd non omnis actus humanus sumat bonitatem vel malitiam moralem ab objecto tanquam termino suo, quem vitaliter attingit. Patet in odio mendacij, & odio DEI: Odium mendacij habet bonitatem suam moralem, quam non accipit ex objecto: Odium DEI habet malitiam

26

litiam suam moralem, quam non accipit ex malitia objecti, ad quod terminatur. Admittendum itaq; est, actus humanos sumere bonitatem suam, & malitiam moralem aliquando ex habitudine ad sua objecta, aliquando ex modo tendendi. Si enim modus tendendi contra meritum objecti est, actus malus; si secundum, meritum, actus bonus est.

## VII.

**V**T Actus humanus sumat malitiam moralem ab objecto, vel circumstantiis ejus, tenentibus se ex parte objecti, sufficit, ut ratio malitiæ in objecto vel circumstantia repertæ, sit interpretativè & indirectè voluntaria, aut ex ignorantia vincibili. Ut sumat bonitatem moralem, à bonitate objecti, vel circumstantiæ, non sufficit illam bonitatem esse interpretativè & indirectè voluntariam, sed necesse est directè, formaliter & expressè esse voluntariam. Percussurus hominem innocentem cognoscit esse Clericum, non intendit tamen quâ talem percutere, committit in percussione injusta sacrilegium: Jejunaturus die Veneris, cognoscit hoc jejunium profuturum ad carnis incontinentiam coercendam: Cognoscit à suo Capite Ecclesiastico hoc jejunium præceptum, nec continentiam tamen intendit, nec obedientiam; actus illius internus jejunandi neutrius virtutis contrahit honestatem. Ratio diversitatis perquam difficilis est. Communiter illa assignatur, quòd bonum sit ex integra causa, malum ex quovis defectu: non est integra causa, quando non est prosecutio objecti sub quavis ratione boni; est unus defectus sufficiens ad malum, quia præcognoscitur malum id quod faciendum est, quamvis hæc ratio mali etiam sub aliqua specie boni intenditur. Contra hanc rationem est; Si huic axiomati esset in materia præsentis insistentium, actus, qui tenderet in objectum honestum sub una ratione, quæ alias plures rationes boni in eodem objecto identificatas habet, & omnes directè non attingeret, non esset simpliciter bonus; quia non esset bonus ex integra causa. Sequelam nullus Doctorum admittet. Ergo nec Antecedens admittendum. Axiomatis præcipuus sensus est: nec in physicis esse bonum, quod aliquem defectum physicum habet; nec in moralibus aliquod esse bonum morale, quod aliquam malitiam moralem admittit in sui consortium. Sagacioribus ingenijs examinandum propono, diversitatis istius, de qua est inquisitio, rationem: Nemo intendens in malum operatur, neq; quicumq; prosequitur malum, sub aliqua specie mali prosequitur; malitia autem una vel plures repertæ in objecto, sunt retractivæ à prosecutione objecti. Cum ergo voluntas, fucatâ specie boni illecta prosequitur, quod videt verè esse malum; malitiæ illius vim retractivam quietat & pacificat per consensum indirectum in illam, illo affectu: volo hoc objectum, tamen si hanc malitiam habeat: Vis enim mali retractiva à prosecutione, si in vigore perstitisset, nec voluntas illi aliquid concessisset, prosecutio objecti hanc malitiam habentis secuta non fuisset. Semper itaq; in directè & interpretativè est Voluntarium malum, quod prævideretur in objecto, vel in circumstantiis, quando talis objecti est prosecutio. At verò cum unaquæq; ratio boni reperibilis in objecto, sit sufficiens ad pertrahendam voluntatem in prosecutionem, non necessitans tamen ut voluntas unamquâmq; prosequatur, tamen si in objecto diversæ reluceant bonitates, voluntas intendens in unam, nec indirectè censetur tendere in alteram, aut interpretativè, imò quasi virtualiter hunc affectum habet: volo v. g. hoc objectum propter bonitatem temperantiæ, propter quam illud vellem, etiam si non esset illi adjuncta bonitas castitatis, vel obedientiæ. Nam si propterea, quia uni bonitati in objecto est altera bonitas adjuncta, voluntas resolvens se in prosecutionem, deberet non in unam, sed etiam in aliam se resolvere; deberet potius non minus in unam, quàm in aliam tendere directè; cum utraq; directè sit prosequibilis. Manet ergo, quod in prosecutione objecti habentis plures rationes honestatis, dum voluntas fertur in unam, non necessariò, indirectè feratur in alteram; atq; adò, neq; actus sumit bonitatem ab illa: Ut verò sumat ab omnibus repertis in objecto, debet directè tendere formaliter in omnes bonitates in objecto, vel circumstantiis, relucentes.

## VIII.

E

Actus

96500





**A**ctus humanus sumens bonitatem suam moralem ex objecto bono, ut sit moraliter bonus, non requiritur, ut actualiter referatur ad DEVM, tanquam ultimum finem, sed sufficit, ut referatur virtualiter. Probarur. Quia aliàs quis actus honestus deberet esse actus charitatis erga DEVM. Involveret enim actualem ordinem suū in DEVM; qui ordo actualis proprius est charitatis formalis, Hinc sequeretur quemlibet Christianum, per quemlibet virtutis actum emundari à peccatis, cum, ut in materia de pœnitentia docetur, actus charitatis supernaturalis sufficiat ad hanc emundationem. Virtualis relatio actūs boni in DEVM, ut finem ultimum, consistit in ipsa bonitate morali actūs, secundum quam est placens DEO, qui est ultimus finis, & seipsum vult tanquam finem ultimum communicare omnibus hoc modo operantibus.

## IX.

**C**um non repugnet, ut unus idēq; actus directè attingat, & honestatem propriam objecti, in quod tendit, & honestatem finis extrinseci, in quem opus dirigit operans, potest unus idēq; actus humanus, præter honestatem, quam ex objecto accipit, accipere honestatem, specie diversam ex fine extrinseco, uno, vel ex pluribus finibus honestis, plures específicas honestates. Voluntas v. g. jejunandi procedens ex motivo temperantiæ, si simul intendat castitatem tanquam finem, subjectionem voluntati legislatoris hoc jejunium præcipientis, gustum divini beneplaciti; & castitatis & obedientiæ, & charitatis in Deum bonitatem habebit. Neq; enim multiplicatio specifica in genere moris necessariò supponit multiplicationem entitatum, sicut multiplicatio specifica in physicis; Neq; plures honestates attacktæ necessariò se habent per modum generis & differentiæ ad unam speciem constituendam; Neq; necessarium est, ut unus indivisibilis physicè actus, ab una omnino procedat virtute. Pro prima parte Ratio: Quia specificatio moralis sumitur ab esse æquivalenti ejusdem actūs, pluribus actibus, quod habet unus actus attingens formaliter plures honestates: Quandoquidem in humana æstimatione prudenti, ad laudabilitatem vel vituperabilitatem, tantundem valet, talem unicum actum posuisse in diversis honestates tendentem, atq; posuisse plures distinctè has bonitates attingentes. Specificatio in physicis sumitur à toto esse physico, & illius sive prædicatis, sive partibus unum reale constituentibus. Ratio secundæ partis est: Quia attingentia unius certæ honestatis constituit actum perfectè in certa specie virtutis, quod faciet & attingentia alterius virtutis, adeoq; in genere moris non contrahetur una per alteram tanquam genus per differentiam. Ratio tertiarum partis: Quia sicut ad plures virtutes de facto plura concurrunt principia, v. g. ad actum supernaturalem fidei, & intellectus tanquam potentia vitalis, & species impressæ, & habitus fidei; ita ad unum actum diversas attingentem honestates, diversæ influere possunt virtutes.

## X.

**A**ctus humanus tendens in objectum ex intentione finis mali, vel eligens medium malum ex intentione finis boni, est simpliciter malus & inhonestus, adeoque nec prior accipit honestatem aliquam ab objecto honesto, nec posterior à fine honesto. Solenne Logicorum principium est, Particulam negativum esse Malignantis naturæ, ut tollat quidquid post se invenit: Non minor est Malignitas mali, sive illud rationem finis, sive rationem medij habeat: Tollit enim honestatem quamcunq;, sive per modum finis, sive per modum medij afficit, cum honestum retentâ ratione honestatis, nec ordinabile sit ad malum tanquam finem, nec finis boni prosecutione honesta esse possit, electione medij inhonesti vitata. Maxima & Ethicæ & Theologicæ prudentiæ est; non sunt faciendâ mala ut eveniant bona, ad quam Christiani non Christianè sapientes, si respicerent, Orbis Christianus innocentis sanguinis effusionem non erubesceret. Ordinatio quoq; cujusvis boni, ad finem malum, honesta esse non potest: Quia non potest esse consona naturæ rationali; cum natura rationalis, quâ talis, omnis finis mali prosecutionem impediri potius velit, quàm aliquo medio juvari; cum ipse finis naturæ rationali adversetur. Quando objectum in se honestum est, posse il-

27

Iud eligi tanquam medium ad finem honestum, & non tantum à finis, sed etiam objecti tanquam medij honestate, actum suam bonitatem moralem accepturum non diffiteor; minimè tamen ex hoc inferitur, ab objecto honesto tanquam medio habiturum actum suam honestatem, quantumvis hoc medium ordinetur ad finem malum: aut actum electivum medij mali habiturum suam honestatem à fine bono, ad quem ordinatur tale medium. Nam à bono quidem nec inficitur, nec minuitur bonum; à malo autem intento, vel electo, bonum electum, vel intentum necesse est vitiari, ut non possit cadere sub honestam prosecutionem. Et hinc verè illud axioma locum habet: Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu; & reverà illum actum, qui medium malum eligit ad finem bonum, aut medium bonum ad finem malum, fore simpliciter malum patet etiam ex eo, quia neuter horum potest à DEO simul præcipi, & prohiberi. Quod si non esset simpliciter malus, sed ut intentivus finis boni honestus, vel ut electivus medij honesti, honestus, posset præcipi efficaciter propter rationem honestatis, & prohiberi propter rationem inhonestatis. Ex his consequitur, nullum actum posse esse simul intrinsecè honestum in genere moris, & intrinsecè inhonestum, & dum contingit, quòd medium bonum eligitur propter finem malum, actus ut electivus medij non procedit à virtute supernaturali, ad quam pertinet talis medij prosecutio: Similiter, dum intenditur finis bonus, & eligitur medium malum, actus ut intentivus finis boni, non procedit à virtute supernaturali, ad quam ille finis pertinet, sed vel ab habitu naturali acquisito consimili, vel à solo intellectu cum speciebus nunc primum acquisitis.

## XI.

**C**ircumstantiæ tenentes se ex parte objecti ut refundant bonitatem vel malitiam in actum, debent præcognosci & quidem in ordine ad hunc actum. Refusio bonitatis vel malitiæ ex circumstantiis in actum non potest esse, nisi bonitas vel malitia circumstantiarum, sit voluntaria intendenti objectum his circumstantiis affectum: Voluntaria verò esse non potest, nisi præcognoscatur, ut ex essentia voluntarij constat. Multi præterea propter circumstantias, quarum hinc & nunc vel non advertunt, vel non præcognoscunt malitiam, materialem tantum contrahunt inhonestatem, non verò formalem.

## XII.

**V**T circumstantia operantis personæ conferat specialem bonitatem, vel malitiam actui, in ratione virtutis, aut vitij, debet præcognosci in ordine ad hunc actum; ut verò conferat malitiam in ratione demeriti, vel bonitatem specialem in ratione meriti, aut in ratione offensæ, vel satisfactionis, non est necesse eam præcognosci. Ratio primæ partis est; Quia sive bonitas sive malitia actus in ratione virtutis aut vitij debet esse voluntaria operanti, & non contrahitur, nisi voluntariè; sine præcognitione verò malitiæ vel bonitatis ex circumstantia redundantis, non potest voluntariè contrahi. Ratio secundæ partis: Quia licet bonitas meriti & malitia demeriti, bonitas satisfactionis & malitia offensæ funderetur, & sita sit in operatione merentis vel demerentis, satisfaciens vel offendens: præmiens tamen vel puniens, offensus vel satisfactionem acceptans, juxta regulas prudentiæ non respicit solum bonitatem intrinsecam operationis in ratione virtutis, aut malitiam in ratione vitij, sed dignitatem quoq; personæ merentis, aut vilitatem demerentis, dignitatem satisfaciens, aut vilitatem offendens, & hanc dignitate movetur ad majus præmium dandum, aut satisfactionem pro majori debito acceptandam; vel vilitate personæ ad majores poenas infligendas pro delicto, ad majorem indignationem concipiendam, vel ad non acceptandam satisfactionem pro tanto debito. Operante enim personâ digniori, licet illa supra suam dignitatem se non reflectat, verè refunditur valor in actum, censeturq; prudenter ab omnibus operatio illius dignior, amabilior, æstimabilior: & è contra offendente personâ viliori censetur offensa gravior.

## XIII.

**C**ircumstantiæ tenentes se ex parte actûs, ut intensio, duratio sive continuatio, major liberras, refundunt suam bonitatem vel malitiam in actum, tamen non præcognoscantur actu ab operante in ordine ad operationem. Intensio actûs nihil aliud dicit, quam plures gradus ejusdem actûs; continuatio actûs, ejusdem actûs permanentiam pro sequentibus instantibus: ac proinde sicut est voluntarius simpliciter actus, licet illius voluntaritas non præcognoscatur; ita intensio & continuatio est voluntaria, licet non præcognoscantur; per consequens suam bonitatem, vel malitiam refundent in actum. Liberras quoq; simpliciter confert ad moralem bonitatem & malitiam actûs, hoc ipso quòd adsit actu, licet non præcognoscatur: pariter itaq; major libertas debet conferre ad majorem bonitatem vel malitiam actûs, licet non præcognoscantur.

#### XIV.

**A**ctus legitimè à superiore prohibitus circa objectum honestum, non potest esse simul honestus ex objecto, & inhonestus ratione prohibitionis. Ita prohibitio legitima legislatoris simpliciter & absolutè inhonestam reddit in hoc objectum tendentiam, ut honestas objecti secundum se spectari nullo modo mereatur prosecutionem suam honestam: simpliciter enim dissonum & disconveniens naturæ rationali est prosequi, quòd legitima potestas prohibet prosequendum. Verum quidem est, quòd prohibitio legitima non auferit intrinsicam honestatem objecto, ipsa tamen per se est extrinsecum impedimentum ad honestam illius prosecutionem; ac proinde ex objecti honestate intrinseca nulla potest effluere honestas in actum. Quam ob causam supposito quòd actus supernaturalis voluntatis dari non possit inhonestus (quam suppositionem libenter admitto) censeo impossibilem esse transgressionem præcepti, de non positione actûs supernaturalis, factam per positionem ipsius actûs supernaturalis prohibiti, quanquam & præceptum possit dari de cavendo conatu talis actûs ponendi, & transgressio per conatum ejusdem ponendi, naturalis; interim ponetur actus contra prohibitionem, similis ei, quem supernaturalem transgressor ponere contendebat.

#### XV.

**N**on potest actus voluntatis intrinsecè malus fieri intrinsecè bonus, & è contra intrinsecè bonus fieri intrinsecè malus. Transitus hic de malo intrinsecè in bonum intrinsecè, & è contra de bono intrinsecè in malum intrinsecè, non potest esse salvâ eadem tendentiâ actûs in objectum, mutatâ verò tendentiâ mutatur actûs essentia. Probatum assumptum. Si actus intrinsecè malus posset transire in bonum intrinsecè, posset sublatâ circumstantiâ refundere malitiam in actum v. g. sublatâ prohibitionem, quæ cadebat super objectum honestum. Sed non potest hâc sublatâ circumstantiâ transire in bonum, sine mutatione tendentiæ intrinsecè: ut sit enim bonus, debet tendere in objectum sub motivo honestatis, sub quo non tendebat stante illâ circumstantiâ prohibitionis, quia objectum prohibitum nullatenus sub ratione honestatis erat amabile: Si de bono posset transire in malum, posset adjunctâ circumstantiâ malitiam refundente in actum, hac verò adjunctâ non potest cum sua tendentiâ idem actus remanere, quia positâ circumstantiâ prohibitionis super objectum honestum cadentis, actus qui ferebatur in objectum sub motivo honestatis, non potest amplius in idem tendere sub motivo honestatis: intellectus enim dicitur illi, non amplius esse prosequendum hoc objectum sub motivo honestatis, interveniente prohibitionem.

#### XVI.

**A**ctus, defectu advertentiæ necessariò elicitus, non potest ex non bono fieri bonus accedente solâ libertate & debitâ advertentiâ: potest ex non malo fieri malus eodem modo elicitus, accedente advertentiâ & libertate. Fundamentum primæ partis, quia actus in genere moris bonus, debet directè tendere in ipsam honestatem, in quam defectu debitæ advertentiæ non tendebat non bonus, ac per consequens sola advertentiâ aut liberras accedens, quæ est extrinseca actui, non potest illum reddere formaliter bonum, qui principaliter ratione tendentiæ directæ in honesta-

28

honestatem debet esse bonus. **Fundamentum secundæ partis:** quia ut actus malitiam accipiat ab objecto, sufficit tendentia indirecta in malum. qui ergo actus erat non malus defectu advertentiæ, redditur malus accedente advertentiâ, quia ad malitiam illius non requiritur directa tendentia à priori, sed solum nova advertentia ad malum, propter quam malum fit indirectè voluntarium.

## XVII.

**A**ctus voluntatis reflexus super alium formalem voluntatis actum efficaciter imperans illum, non tollit actûs imperati ab eadem voluntate procedentis libertatem propriam, nec honestatem, nec meritum: adeòq; non solum honestate extrinsecâ imperantis, honestus est, & meritorius vi illius meritoria, sed propria quòq; honestate honestus, & proprio merito meritorius. Tota probatio hujus asserti est, quòd efficacia actûs imperantis non tollat libertatem immediatam actûs imperati: Sic enim cum libertate propria, & sua honestate manet laudabilis, & suâ dignitate meritorius. Efficaciam actûs imperantis non tollere immediatam libertatem imperati sic declaro. Efficacia hæc in actu primo non est aliquod prædicatum adæquatè intrinsecum, & essentiale actûi imperanti, sed est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca entitati actûs imperantis, dicit enim & virtutem causativam intrinsecam actûi imperanti, & actum imperatum sub conditione futurum, qui est extrinsecus actûi imperanti. In tali efficacia actûs imperantis intelligitur & vis influxiva in actum imperatum, & infallibilis consecutio imperati ex influxu imperantis: Salvatur verò libertas actûs imperati, sive imperetur pro tempore determinato, sive pro tempore indeterminato. Intelligitur vis influxiva, quia assignatur virtus causativa residens in ipsa entitate actûs imperantis, quæ dicit ipsam vim determinandi voluntatem ad ponendum actum imperatum: intelligitur infallibilis consecutio actûs imperati; si enim ex suppositione talis imperantis est futurus imperatus, posito tali imperante infallibiliter consequetur imperatus: sicut quia ex suppositione talis entitatis gratiæ, est futura cooperatio hominis, positâ tali entitate gratiæ, infallibiliter consequetur operatio: intelligitur integra voluntatis libertas in ordine ad actum imperatum; consecutio enim hæc actûs imperati ad positionem imperantis est ex libera determinatione voluntatis, & ideo ex hoc actu imperante videtur secururus imperatus, quia est liberè secururus, & ex eo, quod ex suppositione hujus actûs imperantis, imperatus sit secururus, imperans dicitur efficax: non infert ergo imperans secundum se necessitatem imperati, sed adjunctâ suppositione, quòd ad illius positionem imperatus sit secururus, infallibilis est consecutio imperati: quemadmodum efficacia gratiæ in sententia Societatis non tollit libertatem actuum, in quos hæc gratia influit, quia non dicit essentialem connectionem ex sua natura cum his actibus, sed quia ex suppositione talis gratiæ hi actus liberæ voluntatis sunt secururi, positâ illâ sequentur infallibiliter; quod enim sub conditione aliqua est simpliciter futurum, implicat illâ conditione positâ actu, non poni actu. Rectè admittitur in hac explicatione actûs imperantis, quòd actus imperans efficax sit causa physica imperati: nam secundum id quod dicit in recto, scilicet secundum entitatem suam, & virtutem determinativam voluntatis ad imperatum, verè influit in imperatum, quamvis secundum id quod dicit in obliquo non influat: hoc enim obliquum est actus imperatus sub conditione futurus, actus verò sub conditione futurus nequit esse vera causa sui ipsius absolute futuri, quanquã prioritatè subsistendi consequentiâ habet actus conditionatè futurus ad se ipsum absolute futurum. Ex hac animadversione illud colligendum est, efficaciam actûs imperantis dicere duo non identificata sibi, nimirum influxivam vim, secundò infallibilem consecutionem actûs imperati, in quem influit imperans. vis influxiva est penes entitatem actûs imperantis modo indicato, infallibilitas consecutionis actûs imperati non est penes entitatem ipsam, sed penes suppositionem conditionatam futuri actûs imperati, si hic imperans fuerit positus, atq; adeò non totum quod efficacia dicit, vim veram causandi habet.

## XVIII.

F

Per

**P**er Actum moraliter malum potest imperari actus formaliter honestus in genere moris, sive naturalis, sive supernaturalis, modò non sit specialis repugnantia inter imperantem & imperatum. Actus imperans malus extrinsecè se habet ad actum imperatum ex objecto suo honestum, nec illius intrinsecam tendentiam in suum objectum sub ratione honestatis vitiat; imperatus enim non attingit necessariò objectum imperantis, ex quo malitia refundatur in illum. Et in hac suppositione procedit assertum. Nèq; in supernaturali actu est repugnantia, quominus ab actu malo formaliter procedat: nam in tali casu DEVS ut causa specialis producendo actum supernaturalem, nihil se indignum ageret, non concurreret ad actum imperantem malum, nisi ut causa permissiva, actus verò imperatus supposito jam imperante nihil in se malitiæ contineret. Eximit hæc opinio multis scrupulos de invaliditate confessionis, quam ex intentione vanæ gloriæ quandoq; faciunt: nam tamen secundum opinionem probabilem ad validitatem sacramentalis confessionis saltem attritio supernaturalis requiratur, stabit illa cum actu imperante confessionem ex intentione vanæ gloriæ. Bonam spem præmij facit pro actibus internis misericordiæ, qui ex eadem intentione vanæ gloriæ imperantur. Adjectæ clausulæ: modò non sit specialis repugnantia inter imperantem & imperatum: causa est, quòd actus supernaturalis charitatæ perfectæ habeat talem cum actu imperante malo moraliter repugnantiam, ut ab eo non possit procedere. Velle enim amare DEum super omnia, virtualiter dicit nolle eum saltem graviter offendere: actus imperans amorem DEI supernaturalem, esset ipsum velle amare DEum super omnia. Sicut ergo velle amare DEum super omnia non compatitur voluntatem offendendi DEum graviter sive actuale offensivum DEI graviter, ita imperans actus charitatem DEI super omnia, malus esse non potest graviter. Contra hanc Conclusionem illud pugnare videtur, quòd secundum regulas rectæ rationis unusquisq; teatur procurare, nè operatio ejus fiat ex fine malo. Vnde actus tendens quantumvis in objectum honestum, quia tamen tendit ex fine malo videtur futurus contra obligationem rectæ rationis: at hoc minimè sequitur, nisi quis loquatur de actu attingente intrinsecè finem malum. Respectu autem actus cujus finis intenditur per alium distinctum actum, plus recta ratio non obligat, quam ut intentio mali finis removeatur, quâ si non remotâ ponatur actus circa objectum honestum imperatus, nihil fit contra illam obligationem rationis, quia illa obligatio non cadebat supra ipsius actus imperati positionem, sed supra amotionem imperantis.

## XIX.

**N**on potest actus bonus imperare malum determinatè, nec sub disjuncto, ut bonus vel malus ponatur. Primum svaderur: actus voluntatis imperans actum malum voluntatis, prosecutivè tendit in malum, perinde atq; actus internus tendens in actionem externam malam. Ergo est ipse malus. Svaderur secundum: quando aliquis æquè afficitur erga malum atq; bonum, affectus ille simpliciter malus est, quia non est consonum rationi affici erga objectum malum etiam conjunctum bono. Voluntas verò sub disjuncto intendens bonum vel malum, æquè afficitur erga malum atq; bonum, ideòq; perversa est simpliciter. Hæc ratio non militat contra decretum DEI, quo DEVS offert suum concursum voluntati creatæ liberæ ad hunc numero actum amoris, aut ad hunc numero actum odij. DEVS enim offerendo concursum indifferentem non imperat sibi, aut liberæ voluntati actum malum vel inefficaciter, sed offert tantum physicum suum concursum, præparatum liberæ voluntati, ut ex illius determinatione ipse DEVS concurrat ad bonum vel malum: & hoc facit ut causa universalis, nè liberæ voluntati creatæ desit ad liberè operandum. Per actum verò imperantem voluntas imperando actum malum, ipsa se resolvit saltem inefficaciter ad malum.

## XX.

**A**ctus imperans malus tribuit extrinsecam malitiam actui imperato intrinsecè honesto. Actus imperatus intrinsecè honestus habet se per modum effectus ad imperantem malum, tanquam causam & ut participat malitiam suam ex illo saltem extrinsecè: verum quippe est eum procedere à causa mala, dum ab imperante

rante procedit malo, nec plus requiritur ad denominationem extrinsecam participandam. Repugnantia verò nulla est in eo, quòd idem indivisibilis actus sit intrinsecè bonus, & extrinsecè malus; quia nec bonitas intrinsecà essentialiter excludit malitiam extrinsecam, nec malitia extrinsecà viciat intrinsecam bonitatem.

XXI.

**A**ctus externus actui interno secundum se efficaci, nihil per se addit bonitatis vel malitiæ formalis ex qua coram DEO imputetur ad majorem laudabilitatem, vel reprehensionem, ad præmium majus essentialiale, vel pœnam; superaddit tamen subinde actui interno bonitatem vel malitiam materialem, propter quam major dici possit bonitas vel malitia extensivè in actu interno & externo simul sumptis, quàm in solo interno: item superaddit in aliquibus materijs dignitatem meriti, quo ad præmium accidentale idq; ex peculiari ordinatione Divina. Fundamentum est: Actio externa non habet suam propriam bonitatem vel malitiam formalem, non acceptam ab actu interno secundum quam sit comparabilis ad præmium vel pœnam: quia non habet propriam libertatem. Nulla verò bonitas vel malitia coram DEO est imputabilis ad præmium vel pœnam, non habens libertatem. Cum ergo non possit bonitas formalis vel malitia crescere nisi ex accessu novæ bonitatis vel malitiæ, non poterit crescere bonitas actûs interni vel malitia, ab actu externo, per quem nullus fit accessus bonitatis vel malitiæ formalis. Per accidens tamen ordinariè augetur meritum vel demeritum actûs interni per positionem actûs externi, non quod specialem bonitatem vel malitiam actus externus secundum se adferat interno, sed quod in executione illius major intercedat continuatio actûs interni, major intensio, major victoria, ob superatam difficultatem. De tali augmento per actum externum locuti sunt SS. Patres, asserentes majoris esse meriti tolerare tormenta, quàm velle solum tolerare, dare actu eleemosynam, quàm velle solum dare.

XXII.

**S**icut res physicae, quando secundum speciem sumuntur, considerantur, tantum secundum sua essentialia v. g. homo secundum animam & corpus; quando secundum individuationem sumuntur, considerantur etiam secundum accidentia, quæ illis conveniunt ut actu positis; ita quoq; quando actus humanus sumitur secundum speciem, consideratur præcisè secundum ea, quæ illius essentialiam constituunt, & à quibus primò per se sumit specificationem, uti de facto sumit ab objecto secundum se; quando sumitur secundum individuationem, consideratur simul secundum suum finem, quem in sua tendentia in objectum respicit, & secundum circumstantias, quæ in illius actualem confluent positionem: ac proinde dum quæritur an sint dabiles actus indifferentes secundum speciem, sensus est, an sint dabiles ex objecto secundum se sumpto indifferentes in genere moris, sive qui terminentur ad objectum secundum se nec bonum nec malum in genere moris; sive quod nec honestatem nec inhonestatem objectivam habeat, & dum quæritur an dabiles sint indifferentes secundum individuum, sensus est: an sint dabiles actus, qui non solum ex objecto secundum se sint indifferentes ad bonitatem & malitiam moralem; sed etiam ex fine intento vel omisso, & circumstantijs? ut scilicet nec ab objecto secundum se bonitatem vel malitiam moralem accipiant, nec à finis intentione aut omissione, vel à circumstantijs. In hoc sensu accepisse quæstionem istam S. Doctorem Angelicum existimo; cum enim docuit posse dari actus indifferentes secundum speciem, negavit verò posse dari indifferentes quoad individuum: ad hanc præcisivam respexit rationem actûs secundum speciem; & actûs secundum individuum: cum implicet aliquem actum dari à parte rei in certa specie, qui certam non habeat individualitatem à parte rei, & implicet actum in individuo malum aut in individuo bonum esse, indifferentem vero realiter secundum speciem: actus enim in individuo, realiter loquendo, & seclusâ præcisione intellectûs, bonus, simpliciter & secundum totam entitatem bonus est, similiter malus in individuo secundum totam entitatem realiter malus est; ac proinde non erit dabilis secundum speciem indifferens; secundum individuum verò aut bonus aut malus. In hoc sensu acceptam esse propositam quæstionem

**§. Doctore,** indicat Burdigalensis Recentior, qui dicit: sicut aer à parte rei lucidus est vel tenebricosus, si tamen secundum se & secundum suam essentiam consideretur, nec lucidus nec tenebricosus est: similiter animal secundum sua prædicata essentialia, neq; est cæcum neq; videns: idem applicandum ad actus. Hunc decidendam quæstionis sensum ideo exposui, ut clarius procedat decisio hac & sequentibus conclusionibus danda. Decido jam: Posse dari actus naturales indifferentes in genere moris secundum speciem, sive ex objecto immediato secundum se sumpto. Fundamentum est. Dantur objecta quæ ex se neq; sunt mala moraliter, nec bona moraliter. v. g. ambulare, fricare caput, vel pectere, levare festucam, decerpere florem in campo. Ergo dantur actus interni indifferentes secundum speciem, sive ex objecto secundum se sumpto. Confirmatur. Secundum communem sensum D. D. aliqua ideo mala sunt, quia prohibita; quæ autem mala sunt quia prohibita, non sunt in se & ex se mala, neq; sunt in se & ex se semper bona in genere moris ut mereantur in sui prosecutione laudabilitatem. Actus in talia objecta tendentes erunt indifferentes, secundum speciem. Ergo sunt dabiles indifferentes secundum speciem. Verum est omne objectum quod voluntas profecquitur, debere esse bonum vel sub ratione honesti, vel sub ratione utilis, vel sub ratione delectabilis: verum est quod actus tendens in objectum sub ratione honesti, non sit indifferens sed simpliciter bonus: tendens verò in objectum sub ratione utilis, si ad finem honestum ut utile referatur, actus ipse honestus est; si ad finem inhonestum utilitas ista spectet, actus inhonestus est; sed illud verum non est, quod Adversarij supponunt, non posse objectum delectabile esse nisi honestum vel inhonestum in genere moris, ad eoque prosecutionem boni delectabilis non posse esse nisi honestam vel inhonestam; ex quo illi inferebant dari non posse actus voluntatis indifferentes quoad speciem, verum inquam non est: Nam dabile est bonum delectabile, utpote potentia sensitiva consentaneum & commodum, cujus prosecutio nec laudabilitatem in genere moris habeat, nec vituperabilitatem: talis est pulchritudo floris, cujus aspectus consentaneus potentia sensitiva est; odor floris, cujus olfactus est consentaneus potentia sensitiva, & nec aspectus nec olfactus floris secundum se laudabilitatem vel vituperabilitatem habet in genere moris:

### XXIII.

**D**abiles sunt actus liberi naturales indifferentes non solum quoad speciem, sed etiam quoad individuum. Secundum conclusionis antecedentis probationem (quam Adversantes huic secundæ in proposita materia conclusioni, amplectuntur) dantur objecta, quæ de se nec mala sunt, nec bona, & quorum prosecutio ut talium secundum se nec bona est in genere moris, nec mala: possunt quoq; dari actus, qui tendant in hæc objecta nullâ circumstantiâ aut sine bono cohonestata, nullâ circumstantiâ ut sine malo, vel alicujus debiti finis omissione vitiata in genere moris. Hi indifferentes erunt in genere moris. Ergo dabiles sunt indifferentes actus in genere moris quoad individuum. Probatum assumptum. Potest voluntas hos actus externos velle propter finem illorum naturalem, qui est commoditas quædam conveniens naturæ humanæ; quæ commoditas nec est bonum morale, nec malum morale; possunt tali tempore poni quo non impediunt ullum actum debitum, possunt poni cum moderatione ut non sint damnabiles ex nimia duratione, possunt eo loco, quo tales actus exercere nec naturalis nec positiva lex prohibet. Obligatio quoq; ordinandi quosvis actus in finem honestum nullo ex capite deduci potest. Non ex præcepto dilectionis DEI, cum huic præcepto satisfiat certis actibus positivis supernaturalibus & negatione actuum dilectioni DEI oppositorum. Non ex ipsius naturæ rationalis debito fundante obligationem ad agendum semper juxta rationis regulas; quandoquidem hoc debitum non est ad referendas actiones omnes in finem honestum, sed ad agendum ita, ut nihil rectæ rationi opponatur: dum verò actiones propter finem naturalem sine ulla ordinatione ad finem honestum fiunt, nulla fit oppositio rectæ rationi: quia hæc non urget in omnibus simpliciter talem ordinationem, quod ex communi sensu PP. & omnium fidelium patet; secundum quem non est materia sufficiens confessionis Sacramentalis sine ordinatione ad Deum, temperanter comedisse, aut bibisse, aut dormivisse, frivisse manus ad calorem excitandum &c. In quibus si ex lege naturæ debita ordinatio

30

dinatio ad finem honestum, omnes illæ actiones culpabiles essent venialiter, factæ sine hac ordinatione, adeoq; essent materia sufficiens confessionis. Non potest insuper hæc ordinatione omnium actionum humanarum ad finem honestum probari ex elevatione hominis ad finem supernaturalem: ex hoc enim titulo tantum tenetur homo ponere actus positivos simpliciter necessarios ad justificationem, quibus finem consequatur, & cavere actus, quibus ab hoc fine excludatur. Cum ergo talis obligatio hos actus ordinandi ad finem honestum non possit ostendi, non debet etiam asseri, adeoq; homo in possessione suæ libertatis ab obligatione est relinquendus. Ex comparatione horum actuum quos indifferentes dicimus quoad individuum, cum verbis otiosis, volunt aliqui evincere, æquè esse malos, atq; sunt verba otiosa. Sed vana est illorum persuasio: longè enim alia est ratio de his actionibus quàm verbis otiosis: hæ actiones minimè sunt otiosæ, fiunt enim propter aliquam commoditatem plerumq; partis inferioris non prohibitam lege divinâ, aut naturæ: lavat quis faciem ad maculas detergendas, sive refrigerandum, non est otiosus actus. Verbum verò otiosum est tale, quod nullam habet utilitatem non solum honestam ad finem honestum, sed nec naturalem seu physicam per ordinem ad finem naturalem, ut scilicet serviat commoditari naturali sive propriæ sive alienæ: Hinc otiosum non est verbum, si dicas proximo, tolle plumas ex veste &c.

## XXIV.

**I**nsistendo explicationi datæ hujus quæstionis, an possint dari actus liberi in genere moris indifferentes quoad speciem, vel indifferentes tam quoad speciem quàm quoad actum. Censeo dabiles esse actus supernaturales indifferentes quoad speciem; indifferentes quoad individuum supernaturales dabiles non esse. Primam partem probò: Actus supernaturalis non requirit objectum supernaturale, neq; enim supernaturalitas actus sumitur ex supernaturalitate objecti, ut omnis actus supernaturalis versetur circa objectum supernaturale, & omne objectum supernaturale specificet actum supernaturalem. ab eoq; solo sit attingibile, ut mox declarabo paucis; potest etiam objectum ex se indifferens amari ex motivo alicujus virtutis, ut abstinentia ab esu carniùm ex motivo castitatis, elevatio festucæ de terra ex motivo humilitatis &c. Habitus quoq; castitatis vel humilitatis potest concurrere ad talem actum, objectum materiale indifferens, formale autem alicujus virtutis ex præfatis, habentem: & ita erit actus indifferens secundum speciem, quamvis non indifferens secundum individuum propter finem extrinsecum honestum intrinsecè attractum per eundem actum, qui constituit illum in certa specie virtutis. Dixi insistendo explicationi datæ hujus quæstionis: Scio enim quosdam alium ejusdem quæstionis sensum adferre, nimirum illum: ut per actum indifferens in specie intelligatur actus adequatè secundum totam entitatè physicam, & in individuo positus, seclusâ tamen extrinsecâ illius ordinatione in finem certum, in quem ordinari debet; per actum in individuo intelligatur eadem tota entitas physica actus ut habens actum extrinsecum sui ordinativum in finem debitum, vel carens hoc actu extrinsecò ordinativo in finem debitum. Hoc sensu si quæstio accipiatur, fateor non posse esse actum indifferens in genere moris supernaturalem secundum speciem: hic enim non præcisivè, sed à parte rei, quoad omnia sua intrinseca indifferens esse deberet: ad tales verò actus, non extendunt se habitus supernaturales, qui defectò dantur; quia hi essentialiter respiciunt sua objecta sub aliqua ratione virtutis, & honestatis. Suppositum hujus conclusionis principale supra memoratum, quòd supernaturalitas actus non sumatur omnino à supernaturalitate objecti, adeoq; etiam naturale objectum ab actu supernaturali attingi possit, persuasum habeo ex hoc argumento. Certum est per contritionem perfectam justificari hominem. Objectum contritionis perfectæ vel est naturale, vel supernaturale: si naturale tantum, secundum adversarios actus illud attingens naturalis erit, ac per cõsequens justificatio habebitur per actum naturalem, quod admitti non potest: si supernaturale ergo quoties ex hoc objecto procedet dolor, erit contritio perfectæ supernaturalis, quòd objectum perfectæ cõtritionis cum sit notum fidelibus, à potiori notum erit illis, quòd actum contritionis perfectæ supernaturalem elicerint, & cum aliunde noverint perfectam contritionem supernaturalem justificare hominem, sine speciali revelatione, certò scire poterunt se esse in statu gratiæ sanctificantis per talem actum acquisitæ, quòd fidei dogmatibus repugnat.



# P A R S III.

## De Conscientia.

### I.

**C**onscientia strictissime sumpta in quantum est regula humanorum actuum, est Iudicium practicū sive dictamen practicū rationis proximè & formaliter dirigens voluntatē in agendo vel omitendo, propositā honestate vel inhonestate operis ponendi, vel objecti, per actū internū attingendi. Ante hoc iudiciū practicū quod strictissime conscientia dicimus, solet plerumq; præire iudiciū speculativū de eodem objecto, & tale non requiri semper certum de honestate objecti, ad hoc ut actus suam habeat bonitatem. Probat̄ primò ex eo, quòd moraliter fere impossibile sit homini in rebus tam diversis habere notitiam speculativam certam de bonitate objecti: valde etiam durum aut illa non habitā obligari ad non operandum, aut operando quantumvis honestate probabiliter suppositā non mereri laudem nec præmium apud DEUM. Probat̄ 2do, stante probabilitate pro utraq; parte opposita potest homo eligere alterutram partem, & honestè operari, ut infra declarabitur. Ergo non requiritur iudicium speculativum certum de honestate objecti: potest autem supposito iudicio speculativo probabili, formari iudicium practicū certum & evidens de honestate actūs ponendi, ex fundamento jam indicato, quòd cum tam imperfectum habeamus rerum cognoscendarum modum, ut in paucis certitudinem de honestate objecti assequi possimus, dicat nobis ratio naturalis evidenter, non exigi à nobis id, quod moraliter est nobis impossibile, ut certitudinem speculativam de honestate objectorum præhabeamus. Hac notitiā instructus intellectus, bene concludit certum & evidens esse, quòd positā probabilitate de honestate objecti, licitè & honestè illud amplecti potest, nisi in oppositam partem probabilem, vel præceptum superioris, vel gravis & præponderans causa impellat.

### II.

**C**onscientia erronea includit ignorantiam, & sicut ignorantia alia est culpabilis, alia inculpabilis; ita Conscientia erronea alia est culpabilis, alia inculpabilis. Inculpabilis est, quando quis difformiter iudicat de objecto, esse honestum, cum à parte rei honestū nō sit; invincibiliter tamen ignorat se in hoc iudicio errare, vel è contra iudicat esse inhonestum, cum revera honestum est. Culpabilis Conscientia Erronea est, quando error est aliquatenus voluntarius, quod contingit, si adsit dubium de inhonestate objecti seu actūs, & tamen non deposito ex ratione prudenti dubio, licet ex ratione prudenti sit conceptum, proceditur ad opus. Hæc conscientia Erronea culpabilis potest habere practicam veritatem, ut si cum dubio, iudicet objectum esse honestum, quod revera honestum est, & hoc casu, erronea erit non in se sed in prava voluntatis dispositione; quæ se voluntariè exponet periculo errandi, non removendo dubium, quod remove posset. Agere contra conscientiam invincibiliter errantem; est intrinsecè malum. Docuit hoc Apostolus ad Romanos 14. inquit: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Per ly quod non est ex fide, intelligitur, quod est contra Conscientiam, ut interpretantur SS. Patres; docet & ratio manifesta; intrinsecè quippe & ex natura sua malum est agere quod iudicatur esse malum, quod Conscientia Erronea dicit esse inhonestum, iudicatur esse malum morale & peccatum. Ergo hoc agere est intrinsecè malum, præsertim cum voluntas non dirigatur ab ipso objecto, secundum se: sive à bonitate vel malitia: quæ re ipsa est in objecto, sed à bonitate vel malitia ut per intellectum proposita: & hoc solum est imputabile voluntati ad culpam, quod cognitum ut malum specie aliquâ boni illecta prosequatur. Adde quòd si non teneretur homo conformare se conscientia invincibiliter erranti, quæ proponit aliquid vitandum tanquam inhonestum, DEO displicens, oppositum legi Divinæ, nunquam teneretur se conformare suæ conscientia; quia non minùs dum talem conscientiam habet, nihil dubitat quòd inhonestum

31  
stum sit, atq; si verissimū haberet iudicium: neq; ullum discerniculum habet homo erran-  
tis invincibiliter conscientia, à conscientia non errante.

### III.

**S**I Conscientia erronea dicitur utrumq; contradictoriorum esse malum morale, sive peccatum, & quidem utrumq; æquè grave, & vel obligatio hanc conscientiam Erroneam deponendi non occurrat, vel non sit modus deponendi, nullum est peccatum amplecti alterutrâ partem. Ratio est, utrumq; ex his vitare (ut supponitur) est impossibile. Ergo ad vitandum utrumq; non est libertas sufficiens. Ergo ad alterutrum ex his ponendum est necessitas, quâ suppositâ, non est imputabile ad culpam voluntari, quòd unam potius eligat partem, quàm alteram, cum æquale malum in utraq; parte reluceat, si verò unum repræsentetur ut mortale aliud ut veniale, tenetur voluntas eligere minus; similiter si ex duobus mortalibus aliud minus appareat, minus mortale eligere debet, alioqui eligendo id, quod majus malum videtur, liberè eligit incrementum illud malitia, & contra naturam Rationalem operabitur docentem, ex duobus malis minus esse eligendum.

### IV.

**C**onscientia scrupulosa est anxia suspicio, seu existimatio levi nixa fundamento, quòd aliquid sit peccatū cum tamen reverà non sit; aut grave esse peccatū, cum tamen non sit tam grave. Duplex conscientia scrupulosa potest esse, prima sita in sola apprehensione conjuncta cum animi anxietate conceptâ sine fundamento, vel cum levi valde fundamento proponente aliquid esse malum; quòd malum non est, aut grave esse malum morale, quòd grave non est. Contra hanc conscientiam scrupulosam agere omnino licitum est, dum non adest iudicium, quo enunciatur illicitum esse operari quòd apprehenditur malum, quandoquidem cum hac anxietate & apprehensione stare potest iudicium practicum de honestate actionis, quòd licita sit operatio ista, quæ sine fundamento, aut cum levi fundamento ut mala apprehenditur, & hoc iudicio practico actus voluntaris regulatus erit honestus, 2da sita est in iudicio intellectus speculativo ex tenuibus & levibus fundamentis cum molestia, sollicitudine, & anxietate; enunciante aliquid esse malum, quòd malum non, est aut grave esse, quòd reverà grave non est. Contra hanc licitum est quoq; operari, dummodò adsit iudicium practicum judicans hîc & nunc posse licitè voluntatem ferri in hoc objectum, quòd iudicatum est malum ex levibus conjecturis, quòd si ipsum iudicium practicum scrupulosum est dictans hîc & nunc actionem sine peccato non posse exerceri, non licet contra illud operari, sed re expensâ est deponendum, & aliud illi oppositum formandum. Nam voluntas resolvens se ad actionem, retento iudicio practico de inhonestate actionis, resolver se ad actionem qualis proposita est per iudicium practicum, scilicet ad actionem inhonestam; talis autem resolutio intrinsecè mala est.

### V.

**N**emo potest honestè operari ex conscientia probabili de honestate actionis, nisi habeat simul iudicium practicum certum de honestate ejusdem actionis; quòd, ex quonam fundamento formandum sit; indicavi conclusionem primâ hujus partis. Fundamentum conclusionis est, dicente conscientia probabili te posse licitè operari, adest simul dictamè te probabiliter non posse licitè operari: probabile enim iudicium ira enunciat, ex aliquibus majoris momenti rationibus aliquid tale esse, ut simul ex oppositis rationibus oppositum svaderi non diffireatur. Suppositâ ergo solum probabili opinione de honestate actionis, æquè incertum est te honestè operaturum, atq; inhonestè operaturum: si operaris, quòd probabiliter iudicas esse inhonestum; Ergo ex ponis te periculo peccandi, agendo cum conscientia solum probabili. Quando itaq; communiter docetur, quòd liceat sequi conscientiam probabilem, non est sensus, quòd ex iudicio probabili tantum de honestate actionis, vel objecti liceat immediatè operari; sed quòd præsupposito hoc iudicio probabili, possit formari iudicium practicum, certum de honestate actionis, ac per consequens honesta poni actio. Opinio probabilis est,

alia probabilitate intrinsecâ, alia probabilitate extrinsecâ. Probabilis probabilitate intrinsecâ est, quæ sufficientibus rationibus ex natura rei petitis syadetur, ita ut evidenter quidem assertum illius non demonstratur, nihilominus contrariæ etiam partis fundamenta oppositum evidenter non evincant, ac certò. Opinio probabilis probabilitate extrinsecâ est assensus cum formidine, unius aut plurium Doctorum subnixus auctoritati, quæ prudenti iudicio aliorum mereatur annuum. Proinde nec pluralitas Doctorum probabilem opinionem facit, si Doctores quidam audiant, sed non docti in materia de qua disceptatur, aut plures sunt calculo, sed non plures proprio iudicio, quia unius sensui caput devoverunt. Multò minus unius Iunioris & moderni auctoritas sufficiet ex eo præcisè quòd non constat illius doctrinam esse rejectam à sede Apostolica. Sufficiet nihilominus ad extrinsecam opinionis probabilitatem unius viri Docti auctoritas, si his prærogativis compleatur, quòd sit verè & solidè doctus, pius, & prudens, qui rationibus ex utraq; parte expensis & examinatis, iudicet hanc opinionem esse probabilem. Doctum iudicabis qui secundum communem famam solidè doctus habetur, & in ea facultate versatus cum laude, ad quam materia, de qua controversitur, pertinet: prudentem, si intellexeris, quòd non soleat rem præcipitanter decidere sed maturâ consideratione adhibitâ, si non sit talis ingenij, ut studio velit receptis communitet sententijs contraire, & ponere talia principia, ex quibus enervatur vel potestas præceptiva, vel præcepta illius redduntur vana & inutilia. Prudentem verò minime iudicabis, qui eam opinionem asserat esse probabilem, cujus opposita communi Ecclesiæ consuetudine est recepta: quandoquidem talis consuetudo vel interpretatio Ecclesiæ vim legis habere potest. Pro hac auctoritate unius Doctoris ut sufficienti ad fundandam probabilitatem opinionis alicujus. stat auctoritas plus quam sedecim gravissimorum auctorum asserentium sufficere unius auctoris, qualem descripsimus, auctoritatem, ad sententiæ probabilitatem; stat & ratio efficax, quando multitudo auctorum omnibus suis rationibus non evincit ut evidenter appareat verum, quòd ab iisdem asseritur; tunc si unus doctus, pius, & prudens, de quo prudenter iudicari potest, quòd non remerè sed excussis omnibus rationibus, quibus præfati auctores in suum assensum sunt inducti, & invento novo solido fundamento ab eorum sensu discessit, oppositum ut probabile asserat, omnino prudenter ut probabile admitti potest: ubi enim evidens certitudo non est pro una parte, manet probabilitas pro opposita parte.

## VI.

**M**ulti Doctores asserunt, ex duabus opinionibus probabilibus sibi oppositis, posse dari unam magis, alteram minùs tutam. Intelligi eorum hoc assertum non potest, eo sensu, quòd possint dari opiniones probabiles sibi oppositæ, quarum si unam sequaris, securior sis futurus, te nullum peccatum formale admissurum; si alteram, minùs sis securus, te nullum peccatum formale admissurum. Quævis enim opinio probabilis, ubi ad sequendam oppositam, nec pactum, nec ratio officij, nec lex superioris obligat, apra est ad fundandum iudicium practicum, certum, & evidens, licitè & sine ullo periculo peccati mortalis poni posse opus, quòd opinio probabilis licitum esse affirmat: evidenter namq; certum est, quòd tale opus sit ponendum secundum rectam rationem, quæ dicitur in concursu opinionum duarum probabilium, honestum esse alterutri insistere parti: siquidem nec obligatio est ulla pro una determinatè sequenda, adeoq; voluntas in possessione suæ libertatis manet, nec voluntas in perplexitate inevitabili relinquenda est, ut sine certitudine speculativa, de una parte, non possit suam liberam exercere determinationem. Si intelligatur assertum positum eo sensu, quòd possint dari opiniones probabiles sibi oppositæ; quarum si unam sequaris, securus sis, te nec materiale peccatum admissurum; si alteram, non sis securus, materiale peccatum non admissurum. Admitto illud, & Dico; si nec pactum, nec ratio officij, nec lex superioris obligat ad tutiorem amplectendam opinionem, licitum esse minùs tutam probabilem eo sensu quem indicavimus acceptam, sequi. Hæc enim minùs tuta, hoc ipso quòd probabilis sit, apra est, ad fundandum iudicium practicum certum de honestate actûs, ut dictum est. Quòd minùs certum sit materiale peccatum non inesse huic actui, non inducit obligationem, oppositam tutiorem omnino sequendi; quia non est obligatio certò declinan-

declinandi in omnibus materiale peccatum; aliàs continua esset perplexitas conscienciarum in ijs, quæ tantùm probabiliter honesta esse sciuntur, & non habetur certitudo de illorum honestate, hoc ipso enim non habetur certitudo de exclusione materialis peccati.

### VII.

**C**um conscientia practicè dubia, seclusâ perplexitate operari non licet: conscientia enim hæc dicit dubium de inhonestate actionis, quo stante si voluntas procederet ad operationem, virtualiter & implicite amplecteretur malum, amplectendo id, de quo dubitat, an sit malum & inhonestum: certè evidentè se exponit periculo faciendi malum, qui dubitans practicè, an sit malum, operatur. Potest nihilominus quispiam licite & honestè operari cum conscientia speculativè dubia, modò habeat iudicium practicum certum de honestate operis hic & nunc faciendi: proxima enim regula humanorum actuum non est iudicium rationis speculativum sed practicum: quod formari potest, vel simpliciter sine novis argumentis deponendo dubium, si illud sine sufficienti ratione est exortum; vel adinventis rationibus sufficientibus de honestate actionis, quæ probabilem faciant opinionem de eadem, vel ex responsis viri docti & prudentis vel ex titulo possessionis: cum secundùm regulam juris in pari causa & delicto, melior sit causa possidentis, sive ut commune fert effatum, in dubio melior est conditio possidentis. Titulus iste possessionis non tantùm in materia iustitiæ valet ad resolvenda dubia, sed etiam in alijs; adeoq; etiam in materijs ad alias virtutes pertinentibus quando dubium est invincibile, melior est conditio possidentis. Pro quo autem sit possessio in materijs ad alias virtutes pertinentibus, ex hoc principio dijudicandum est: quando obligatio erat antiquior dubio, stat possessio pro obligatione sive voti sive legis: quando verò per dubium ipsum primò intrat obligatio, stat possessio pro libertate: suppositâ enim certâ obligatione ante dubium, liberam jam est ligata & adstricta certâ obligatione, adeoq; exuta suâ possessione. Si verò dubium antecedit obligationem sive antecedit id quod est inductivum obligationis, intelligitur liberam non esse ligatam, donec probetur esse ligatam: propterea in dubio juris semper possessio stat pro libertate; in dubio facti quando dubitatur an sit obligationi satisfactum per operis obligationis positionem, stat pro lege vel voto. In dubio facti quando dubitatur an aliquid contra prohibitionem legis sit factum; possessio stat pro innocentia. Nihilominus quia communis est Doctorum sensus, obligationem esse ut peccata mortalia dubia in confessione subijciantur clavibus, non potest homo possessione suæ innocentie eximere se ab hac obligatione: nam lex obligativa ad dubia peccata explicanda in confessione sacramentali, supponitur esse in possessione.

